

www.e-rara.ch

Carmen de astronomico horologio Argentoratensi

Frischlin, Nicodemus

Argentorati [Strassburg], 1575

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2846>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]


Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CARMEN
DE ASTRONOMICO
Horologio Argentoratensi,
scriptum à

M. NICODEMO FRISCHLINO BALIN-
gensi, *Academiae Tubingensis Professore.*

Item de eodem Schediasma Guilielmi Xylandri Augustani.



ARGENTORATI

Excudebat Nicolaus Wyrriot,

M. D. LXXV.

*Præclarissimo Atq. Obijmo viro D. Seba-
stiano Fabricio, d. d. Laphiel Soling
Observantiae Germanicae Praesidi*

DE ASSURONCO

Hospital de Santa Cruz

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

1777

MAGNIFICIS AC PRVDENTISSIMIS

VIRIS, MAGISTRATIBVS ET

Senatui floren. Reip. ARGENTORATENSIS,

*Dominis suis omni obseruantia
colendis S.*



Ide vestra in literas humaniores voluntate, Magnifici viri, Proceres Amplissimi, & ea, quam in omnes liberalium artium ac disciplinarū cultores habetis, summa humanitate dubitarem: plu-

ribus sanè verbis consilij mei, & suscepti laboris rationem mihi reddendam putarem. Sed cum ea sit & æquanimiratis uestræ, & huius libri, quem vobis offero, conditio: vt neque illa dubitationem aliquam in animo meo relinquat: neque hic verbosiori excusationem requirat: breuitati potius consulendum, quàm longo præfationis lenocinio studendum esse censeui. Equidem omnis hic labor meus, quantuluscunque est, literariæ Reipub. & cum primis uestræ dignitatis causa susceptus est: nō quòd illi quicquam ornamenti, è meis versibus accedere posse crederem: sed quòd liberalitatis & magnificentiæ uestræ prædicationem me dignam, & alijs fructuosam, vobisq;

non ingrátam fore certò statuerem. Si enim honestè
 & liberaliter facta literis ornare, & memoriæ poste-
 rorum commendare decet: quis me iure reprehèn-
 dendum putet, quòd ego nouam istam Horologij
 Astronomici fabricā, quæ vestra liberalitate, in sum-
 mo Tēplo vrbis vestre, nuper excreuit: & multis ad-
 mirandis operibus cōstructa atque exornata est: ver-
 sibus non modò celebrandam, sed etiam describen-
 dam mihi sumserim? Poëtæ veteres, cum huiusmò-
 di argumentis, in quibus ingenia sua exercerent, tem-
 porum iniquitate destituti essent: aut fabulosa tan-
 tum de Dijs suis prodiderunt, vt Hesiodus, & prior
 ipso Orpheus: aut res fictas, tanquam gestas, descri-
 pserunt, vt Homerus & Virgilius: aut obscœna &
 turpia proposuerunt, vt Catullus & Ouidius: aut lu-
 dicra & ridicula versibus celebrarunt, vt Martialis
 & Statius. Quòd si igitur hoc illis laudi datur: an mi-
 hi vitio vertendum, quis putet: quòd ingenij mei vi-
 res, in re graui & vtili, exercere volui? Etenim ea noui
 huius operis est præstantia & claritas: vt non tan-
 tum animos doctorum Virorum in sui admirationē
 rapiat: sed etiam ineruditorum hominum & vulgi
 ipsius oculos afficiat, & planè in stuporem quendam
 conuertat. Describit enim hæc machina non modò
 singulorum temporum momēta, & horarum quar-
 tas, ipsasque horas tam inæquales, quàm æquales: sed
 singulos etiam, cuiusq; hebdomadis & mensis, dies:

Lunæ

Lunæ item illuminationes: & spacia menstua: tum
 Solis, & omnium Planetarum medios motus in Ecli-
 ptica: præterea anni totius & cœli reuolutionem in-
 tegram: denique perpetuum & admirandum Calen-
 darium, in centum annos accuratissimè digestum re-
 præsentat: vt nihil interim de pulcherrimis rerum
 maximarum simulachris & corporibus automatis:
 nihil de Parergis innumeris: nihil de solarijs artificio-
 sissimis: nihil de picturis elegantissimis dicam: qui-
 bus præcipuæ historiæ ab initio mundi ad finē eius-
 dem in toto opere delineatæ continentur. Quarum
 omnium rerum diligens & accurata descriptio quā-
 tum, non dicam ad historiæ cognitionē, quæ in omni
 vita necessaria est, aut ad morum & honestatis doctri-
 nam: sed ad Mathematica & Astronomica studia per-
 tineat, atque conducatur, eruditi facillè intelligunt. At-
 que vtinam profectò tātum vtilitatis ac fructus legē-
 tibus offerat: quantum laboris & difficultatis mihi
 scribēti exhibuit. Fuit enim partium singularū istius
 fabricæ descriptio, tum per se difficilis: tum præser-
 tim ei, qui & longius ab opere ipso absuit, neque id
 subinde ob oculos habere potuit: & alioquin in hac
 scribendi facultate cæteris Germaniæ Poëtis longè
 inferior est: tum verò ob ipsam rerū, quæ in hac ma-
 china continentur, sublimitatem, & admirandam va-
 rietatem, per quam laboriosa. Nam ea est huius Ho-
 rologij ratio, vt hominem attentum, ac probè ocula-

tum requirat: & laudum suarum præconem ad om-
 nes literarum angulos reuocet. Quis enim globum
 cœlestem, rotas calendarij, Lunæ illuminationes &
 inæquales Planetarum motus in Astrolabio mobili,
 sine Astronomia intelliget: quis siderum naturas, &
 motuum differentias, ac proprios effectus sine Phy-
 sica & Poëtarum diligenti lectione versibus descri-
 bet: quis solaría, eorumque vsum sine Geometria &
 Sciographia dilucidè explicabit: quis discrimina æta-
 tum, & Christi cum morte certamen, sine naturæ co-
 gnitione & Theologiæ lumine vtiliter exponet: quis
 tot picturas, tam affabrè fictas atque pictas, sine Hi-
 storia enarrabit: quis denique tot præclarorum ho-
 minum, qui in hac fabrica elaborarunt, laudibus per-
 cēsendis sufficiet, nisi ingenio singulari & planè sub-
 acto sit præditus: Quibus omnibus cum ego desti-
 tutum me esse probè agnoscerem: dici non potest,
 quantum laboris & studij hæc lucubratio postula-
 uerit. Omnium verò maximè huius descriptionis
 difficultatem auxit operis ipsius nouitas. Cum enim
 neque Horologia nostra ueteribus agnita fuerint:
 neque Astrolabiorum idem usus: neque ullibi res
 huiusmodi descriptæ aut uersibus expositæ reperi-
 tur: ego neminè ex tota uetustate habere potui, cuius
 non dicam elocutionem, & loquendi formulas, sed
 inuentionem imitari licuisset. Cui incommodo etiam
 hoc accessit: quòd, ut res nouæ, ita etiam rerum uo-
 cabula

cabula noua, & pleraque aspera, atq; à natura & suauitate carminis aliena occurrerunt: cuiusmodi sunt Astrolabium, Horologium, Calendariū, circuli progressionum seu Almiancarath, circuli uerticales seu Azimuth, circuli domorum cœlestium, horarum inæqualium, Horizon, Aequinoctialis & similia. Quæ tamen omnia ego Latinæ elegantiae & suauioris soni studio; quantum fieri potuit, ita mitigauī: ut nihil in hac descriptione inesse iudicem, quod meritò in reprehensionem incurrat. Dicent fortasse aliqui, me aut prorsus inanem lusisse operam, aut rem, quæ facili & plana uia expediri potuisset, cōsultò difficilem atque inuiam mihi fecisse. An non enim ista omnia soluto & genuino orationis genere melius disertiusque exponi poterant à uiris eloquentibus: præsertim in ea Schola, quæ & copia talium uirorum abundat, & oratoriae facultatis laudem & gloriā suo quodam iure sibi uendicat. Equidem non inficias eo, magnam inesse uim ad res obscuras explicandas, & animos hominum permouendos, in soluta & plana oratione. At multò tamē maiorem carminibus inesse, non temere, aut absque ratione statuo. Nam & uerba in carminibus grauiora, & pulchriora, & metaphore uenustiores: comparationes item crebriores, & exempla liberiora, quàm in alijs orationibus, adhiberi solent & possunt. Quibus cū numerorum accedit suauitas: fieri non potest, quin perfectum ali-

quid & absolutum constituatur. Animi verò auditorum uenustate carminum plurimum affici, & quasi musico quodam sono incitari solent: firmitusque ea semper in memoria retinent, quæ numeris inclusa: quàm quæ illis libera, & uago quodam orationis circumductu composita sunt. Quo sanè factum est, ut Poëtarum scripta ex profanis omnium sint antiquissima: & quædam etiam sine literis, sola memoria ad posteritatem trāsmissa fuerint. Est igitur uerissimè à Cicerone scriptū: quòd nullius agricolæ cultu stirps tam diuturna, quàm Poëtæ uersu seminari possit. Sed quid opus est carminū uel sublimitatē uel utilitatem verbis confirmare? Equidē de hoc inter omnes constat, tantam olim uersuum & Poëtarum auctoritatem fuisse: ut sapiens uetustas laudes Deorum, alio orationis genere, quàm uersibus, celebrandas esse non crederet. Cū ergo uestri Horologiū structura cœli ipsius, quod Dei Opt. Max. sedes est, motus uarios, & sidera, eorūque cursus representet: quonā alio laudationis genere aptius aut dignius illustrari potuisset, quàm uersibus? Itaque hac una ratione satis me contra illos defensum esse arbitror, qui solutam orationem Poëticæ suauitati hac in parte præferendam fuisse statuunt. Et quoniam honori uestro qualicumque mea opera inseruire, & publicæ utilitati hac lucubratione consulere uolui: neminem è sapientibus fore iudico, qui laborem hūc meum aut temere susce-

ptum

ptum, aut frustra collocatum esse existimet. Cùm enim hoc tantum opus uestrae Reipub. maximis impensis, publici commodi, & praesertim studij Astronomici illustrandi causa adornatum sit: minime committendum putauì, ut tam praecleari operis structura in uno templi uestri angulo lateret: sed omnibus mihi uiribus in id elaborandum censui, ut publici iuris fieret, & aliqua eius utilitas ad plurimos homines longè lateque perueniret. Videmus enim hac extrema mundi senecta politio-rem literaturam, & sublimiora artium ac disciplinarum studia paulatim uiles- cere: & hominum nostrorum animos aut ad luxū & uoluptates rapi, aut ad quaestuosas artes & splendida pecuniarum au- cupia conuerti. Nam hodie

dat Galenus opes, fuluum dat Bartolus aurum:

==hæc Ianus summus ab imo

Perdocet: hæc pueri recinunt dictata, senesq̃,

Leuo susp: nisi loculos tabulamq̃, lacerto:

quemadmodum alibi de suis Romanis Horatius conqueritur. Artes autem humanitatis, & Mathematica studia minus ubiq̃ florere, nec nisi à paucissimis excoli uidemus. Solet enim pueritia ea, quæ à superiorū ordinum hominibus negligi & contemptim haberi uidet, ipsa etiam negligere atque contemnere: quemadmodum longo iam usu & quotidiana experientia docemur. Quare uestro exemplo, uiri Magnifici, atq̃ amplissimi Proceres, aliorum magistratuū animos

mihi excitandos putavi: ut, quanti hæc studia facere,
 & quas in res potissimum sumptus impendere de-
 beant, hoc scripto admoneantur. C V M autem &
 ueteri & nouo more receptum sit, ut labores nostros
 Mœcenatum & bonorum uirorum patrocínio dedi-
 cemus & commēdemus: ego certè neminem habui,
 cui potius, quàm uestro ornatissimo ordini hanc de-
 scriptionem nuncuparem & cōsecrare. Nam & in
 uestram maximè gratiam scripta est: & uestri clarissi-
 mi nominis autoritate, uelut Aiæcis clypeo, aduersus
 maleuolos obrectatores tutissima esse poterit. Neq;
 enim mihi dubium est: quin omne id, quod mearum
 uirium imbecillitate huic operi decedit, uestræ clari-
 tatis magnitudine & magnificentiae splēdore com-
 pensetur. Quod igitur unū superest, Magnificentias
 & Amplitudines uestras summis precibus oro atq;
 obsecro, ut hanc operam meam boni & æqui consu-
 lant, & eadem beneuolentia, qua omnes literas bo-
 nas, earumque cultores, me quoque deinceps com-
 plectantur. Datae Tubingæ Idibus Decemb. An-
 no reparatae salutis 1574.

Vestris Magnificentijs, & Am-
 plissimis dignitatibus
 deditissimus

Nicodemus Frischlinus,
 Academiae Tubingensis
 Professor.

ΕΙΣ ΑΡΓΥΡΟ,

ΡΟΛΙΝ.

Αργέντινα, πόλι πολλῶν θ' ἄρετε, χαῖρε,
 πῶς δ' ἐπιδίω σε; πολὺν τὴν γινώσκεις,
 παιδείας προκοπῆς τε χάριν χρόνον· ἡνίκα σεμνὸν
 Βερτέρω μ' ἐχέτω, Ἀντώνιῳ ἢ δὲ Φίλιππῳ.
 Οὐκ ἐνὶ ὄνομά τι πέλει· χρυσόπολις σύ δ' ἄλγθως.
 Ἐρκόσω, τάδε· σώμα, φύσις, ψυχὴ τε, νόθ' τε,
 Ζωὴ, ἴσ' ἐν· τῶν τοῖς φθάνουσ' ἀκμή, τὰ ἐφεξῆς.
 Σώμα φύσις, φύσιν αὖ ψυχὴ, ψυχὴν νόθ', αὐτὰρ
 Νῦν Ζωὴ, Ζωὴ δὲ τὸ ὄν, δυναμὸν ἀγαθύνει.
 Οὕτω γιτάχθ', πλῆτ' ὅθ' ἰγλαὸς ἀνὰ κῆς,
 Καὶ χολή, ἢ δ' ἰερά· τῆς προτέροισι, τὰ ἐξῆς.
 Τάχεα μ' πλῆτ' ὅθ', πλῆτον λεῶς, λαὸν ἀνὰ κῆς,
 Τὸς δὲ χολή, πλὴν δ' αὖτε χολῶν τὰ θεοῖο, τελαοῖ.
 Δαῖμα δὲ τοῖς πάντεσσι πειλ' ἐφοχον, ὥροισι γούρ·
 Τάχε' ὅθ' ἢ δ' ἀφγῆς, λαῶ, πινυτοῖο τε Βυλῆς,
 Ἀξιοῦ ἐργον· ὅθ' ἐκ τε χολῆς κρέματ', ἐξ ἱερῶν τε·
 Οὐνεκ' εὖς Δασύπυς, ἰγ Βολκεσάνιος, αὐτὸ
 Τεῦξαν ἐπισαμνῶς· Φειχλίν' ὅθ' ἱαλλεπία
 Κοσμίσασκε· χολήν τέ πόρρενεα κάλ' ἀνέδωκεν·
 Οὐνεκὰ σύ, ξυνετὴ πόλι, φροντίδ' ἔσασα διδασκας
 Κυριακῆς, ἢ γεηγορία, ἐκτελευσεν, ἐφετμῆς·
 Οὔτ' ἢ μὲν ἡμεῖς παρῆσεδ', ἀγνώστ' ἡμῖν ὦσαν.
 Αργέντινα, φάθ', χαίροις, ἀλεμννίδ' ὅθ' αἶης,
 Ἀσραπῆων μικροκόσμοι· θεὸς δὲ σ' ἀπήμονα σώζοι.
 Μαρτίν' ὅθ' κρύσει'.

AD CIVITATEM Argentinam.

ARGENTINA, urbes inter celeberrima, salue.
Diligo te, colo te: quia multum temporis in te
Discens, profeci: dum nobilitate tenent me
Vverteri celebres: Antonius atque Philippus.
Non sine re nomen tibi: sed magis aurea uerè es.
In mundo sunt hæc: corpus, natura, anima, & mens.
Vitaq; & Ens: indunt uim proxima quæque priori.
Corpus alit natura: anima hanc tenet: ast animam mens:
Mentem uita fouet: sed uita ligatur ab Ente.
Sic tibi mœnia sunt, & opes, populus, proceresq;
Et schola, relligioq;: uiget prius omne sequenti.
Mœnia stant opibus: fouet hos populus: proceres, hunc:
Hos schola dat: sed perficitur schola relligione.
Conspicitur signum præstans his: Horologeion:
Mœnibus, atque opibus: populo, sapiente senatu,
Dignum opus: idq; scholam spectans, & relligionem:
Dum doctus Dasypus, & Vuolkestenius, acri
Perficiunt studio: Frischlinus diuite uena
Decantat: creuere schola quæ germina læta:
Dum tibi tu curæ, sapiens urbs, innuis esse
Præceptum Domini, uigilando orare iubentis:
Quando nos lateat, qua sit uenturus is hora.
Argentina uale, lumen Germanidos oræ.
Præfulgens Microcosme: Deus te seruet ab hoste.

Martinus Crusius,
Tybingæ utriusque
linguæ Professor.
DOMI

DOMINO M. NICO.

DEMO FRISCHLINO, POE.

TAE GRAVISSIMO, MACHINAE

Astronomicae à S. P. q̃ Argent. nu.

per magnis sumtibus erectae ce-

lebratori optimo, Christianus

Egenolphus Francof. S.

QVI. FRISCHLINE prius uicisti carmine multos.

Nunc (mirum) ingenio uinceris ipse tuo.

Qui sic Stelliferas audens transcendere sedes,

Te mira humanis eripis arte plagis.

Salue, ô sublimis fabricae clarissime praeco,

Salue non illo, Dædale, Crete minor.

Dum namque aethrios illustras carmine motus,

Sidera quis, Phæbus, Cynthia quisq̃; meant,

Dumq̃; breues uitæ ficta sub imagine cursus

Docto & cristatam carmine pingis auem:

Fama tua aethrios pro sidere tendit ad orbes,

Argutaq̃; mori nescia, uoce canit:

Et tecum, ac per te surgens preciosa, tuoq̃;

Munere perpetua machina laude uiget.

Ambigo, uictricis tribuam utri munera palmæ,

Moli, materiam quæ dedit, æne tibi.

Parcite mi celebres, si quid delinquo, magistri,

Musa illo maius pondere pondus habet.

Vnam se laudat moles, celebresq̃; magistros:

Hos illam cœlo carmina seq̃; uehunt.

TVRRIS ARGENTO-
 RATENSIS, FABRICAE IBL
 DEM NVPER EXTRVCTAE,
 eiusdemq; præconis, eodem
 autore.

ANNVLVS ut medium precio minor ambit Iaspiu,
 Sic turri magnæ fabrica maior inest.
 Fabrica cur maior turri, qua clauditur ipsa?
 Aether subiecto maior & ipse solo est.
 Dissimilis ratio, neque enim terra ambit olympum,
 Sed potius cæli uertice tecta iacet:
 Turris at exigua stat moles addita parti,
 Fulget & augusti pars quotacunque soli.
 Hinc bella orta. Suos minui præuidit honores
 Turris, & huic fabricæ, pars mea, dixit eris.
 Sed cupida hæc laudis, nempe es tu terrea, dixit,
 Cælum ingens humeris uoluo, sed ipsa meis.
 Vidit ea, & rupit uenerandus bella senatus,
 Et fabricæ, tecti pars, ait, huius eris.
 Ius prius huic longos cedit maiusq; per annos,
 Sit tibi in hac tutò posse latere, satis.
 Sed qua maiori cedunt mare terraq; cælo,
 Laudi hæc cessura est hac ratione tue.
 Vix hæc sopierant grandæui prælia patres,
 Qui noua tentaret prælia, scriptor erat.
 Hicq; ut maiori certaret laude superbe
 Molitus fabricæ tristia bella fuit.
 Hancq; supra ad cælos nixus uolitare senatu
 Palmæ pro uoto præmia dante tulit.
 Cur ita: uiderunt rapidis obnoxia flammis
 Mœnia, saxa, arces, turrigerasq; domos:
 Solos post flammæ superesse & uincere uates,
 Carminaq; extremos spernere sola rogos.

M. ERHARDVS CEL
LIVS SCHOLAE TVBINGEN.
SIS PROFESSOR, L.

ITala gens magnæ laudat tecta ardua Romæ:
Omnigenis passim tecta petita uiris.
Gallia pontes sacris effusa spiraminis effert:
Atque sui immensum querit at inde decus.
Tu te sublimem felix Germania tolle,
Argentina tui quod sit alumna soli.
Argentum reliquo quantum præstantius ære,
Teutonicis tantum mœnibus illa præit.
Hanc, uelut ipse refert tuus ô Germania phœnix
Sturmius, in magna maximus urbe decor:
Quattuor ob causas peregrini ad euntq; uidetq;
Commemorantq; alijs quattuor ista locis.
Alma tenet primas illorum Academia partes:
Quæ doctis mirè est suspicienda uiris.
Proxima turris adest cathedralis maxima templi:
Et molem, & tollens nomen in astra suum.
Inde stupenda suis armamentaria monstris:
Ordo stupor, noui fas, copiaq; illa stupor.
Quodq; magis rarum, & thesauro clarius omni:
Natiuum hæc cornu munocerotis habet.
Ast ego iam dictis quintum mirabile iungam:
Turris id in gremio continet alta suo.
Forte Dasypodius, cœli scrutator & orbis,
Molem illam, & turris grande stupebat opus.
Hæc secum: haud omnes iuuat altæ culmina turris.
Scandere, & in uarias lumina ferre plagas.
Susplicere ad nitidi rutilantia sydera cœli:
Atque uidendo, aciem ledere sæpè procul.
Hic statuamus opus, nostro memorabile seclor:
Quod magni effigies, quod sit imago poli.
Tempora quod signet: quæ solis & orbita lunæ
Lapsaq; sub terras: orta q; signa notet.

Nec mora fecit opus solerti indagine magnum:
Quod nunc est oculis dulce uidere tuis.
Magnum opus, auditu dictu, uisuq; stupendum:
Astra, polos, cælos, tempora, signa ferens.
Antea tale nihil tellus ænotria uidit:
Behia tale nihil, cetera tale nihil.
Fortè sed obijcies: ecco bene tuta colores
Dicere res non est: uisa referts decet.
En ego Frischlini pandente poemate tanquam
Aure hausi: uidi lumine quæq; meo.
Vt uidear præsens miracula tanta tueri:
Vidit is, & uersu dat reuidentia suo.
Tu quoque tam clari lege commentaria uatis:
Subijcient oculis omnia ritè tuis.
Illa Maronæo grauius sunt condita filo:
Doctrinæ & magnas testificantur opes.
Philosophus nisi enim non ficto audiret honores:
Ni uero audiret iure, poëta sacer:
Hec se condigno præcone orbata fuisset
Fabrica: sed uerum est hoc modò nacta fabrum.
Felicem quidam diuinum duxit Achyllem,
Mæonides quod ei præco poëta foret.
Felix hæc fabrica est, & uero nomine felix
Quòd, Frischline tuo est celebrata metro.
Non ita ter claris uenerem depinxit Apelles,
Vt ter clara tua hoc Musæ poluit opus.
Ergo si uarijs plenissima carminarebus,
Cælorum si quem mobilis ordo iuuat:
Si iuuat hamanæ cognoscere mentis acumen:
Præstare artificis quod quærat illa manu:
Hanc lege diuino manantem flumine Musam:
Non audita prius: uisa nec antè leges.
Atque Dædypodium longam traducere uitam,
Frischlinumq; meum uoce sauciente, iube.

DESCRIPTIO HOROLOGII AR, gentoratenfis.

ASTRA polosq; nouos, & nexos orbibus orbes,
Horarumq; vices varias, Solisq; labores,
Et Lunæ metas, discretasq; corpora certis
Limitibus, cæli veros imitantia motus,
Artifici fabricata manu, miracula rerum,
Hinc canere incipiam. Cæli mihi summa potestas
Dextra adsit, faueantque meis pia numina cœptis.

VRBS antiqua iacet: primi coluere Trebaces:
ARGENTORATVM, ripis cōtermina Rheni,
Diues opum, & nulli veterum virtute secunda,
Siue fidem spectes, & relligionis honorem:
Siue forum, canosq; patres, sanctumq; Senatum,
Iustitiæq; decus, seu limina culta Lycæi,
Insignesque viros: seu duro mœnia saxo
Conditæ, & armatas aduersa in prælia vires:
Marmoreasque domos, atq; ardua tecta domorum.
Hac TEMPLVM augustū, cælataq; turris in vrbe
Vertice prospiciens alto (mirabile visu)
Surgit: & excelsum caput inter nubila condit.
Tota toreumatibus, piætiq; excisa columnis,
Tota patens luci, & leni perflabilis aura,
Et cono insignis galeæ, & testudine circum

DESCRIPTIO

Quadruplici septa, & nullo violabilis ictu.
 Prima solo posuit quidam fundamina duro,
 Steinbachia natus de gente ERVINVS: & omne
 Ad galeam duxit opus: & testudine sepsit:
 Tēpore quo imperij gessit RHODOLPHVS habenas
 HABSPVRGUS, Comitū Germanus origine Cæsar.
 Nunc illam multis seruantq̃, fouentq̃, minores
 Impensis, magnoque locant in honore, suosque
 Maiores hac laude æquant: nam fulmine tactam
 Sæpius immensi repararunt sumtibus æris.
 Iamq̃, adeò nuper, foribus quæ proxima templi
 Stant adyta Austrinis, socia testudine iuncta,
 Excelsa fabricam posuerunt pariete muri
 Intus: vt exactas mortalibus indicet horas,
 Et Solis Lunæq̃, vias, noctesq̃, diesq̃,
 Et menses fastosque, in longum digerat æuum.
 Mirum opus ingenij, mirandaque arte paratum:
 Quale laboriferi nescisset radere toruus
 Praxitelis, Cœus nec depinxisset Apelles:
 Nec Polycletæus duxisset in ære caminus:
 Quale nec Ætnæis olim Telchines in antris,
 Nec rigidus Steropes, nec, qui polit arma Tonanti,
 Mulciber æterna potuisset fingere massa:
 Quale nec hoc toto quisquam conspexit in orbe:
 Nec facile aspiciet: seu Gallica regna pererret:
 Seu totam Italiam lustret: seu Teutonis orbem
 Viribus ingenij superantem climata mundi
 Totius

Totius, inuisat: seu Persicarura peragret,
Sine adeat Libyen, atque ultima littora Thules.

GLOBVS COELESTIS.

Primus humi nitens pennis se ostentat, & alis
Explicitis: diróque ferit sua viscera rostro:
Et gerit impositum Pelicanus tergo cælum,
Arte noua factum tenui de cortice cælum,
Non fictum ex nihilo. Deus hoc sibi vendicat vni.
Vtq; Atlas humero stellatum cælifer axem
Torquet: & incuruo suffulcit sidera tergo:
Sic paribus nitens Pelicanus firmiter alis,
Artifici factum dextra sustentat Olympum.
Quò non humani penetrarunt pectoris artes?
Ecce polos & picta manu, noua sidera cæli
Signiferumq; orbem stellis fulgentibus aptum,
Quique illum spacijs Æquator diuidit æquis:
Et Tropicos geminos: & qui determinat Arcton,
Innumerósque alios sublimi in vertice gyros,
Pleiadésque ipsas, fuluumq; Orionis ense,
Et rapidum Inachiden, & Gorgonis ora Medusæ.
Et cum Cassiope natam, aligerumq; caballum,
Æmoniamq; lyram, & sidus pluuiæ capellæ,
Et quecunque alto profulgent sidera cælo:
Omnia que tacito sensim labentia cursu,
Concita ponderibus, cælestisque æmula motus,
Quattuor & viginti horis voluuntur in orbem.

Utq; faces alie verò tolluntur in axe:
 Et caput occultant alie, redeuntq; sub vndas:
 Sic etiam picto stelle hoc oriuntur in orbe,
 Cum facibus cœli, & simili temone cadentem
 Oceanum repetunt, vultusq; sub æquore condunt.
 Præterea gemini diuerso limite molem
 Circa, fila trahunt orbes, immotus vterque,
 Seq; secant, partes dirimuntq; in quattuor æquas.
 Alter ab excelsso decurrit cardine mundi,
 Verticibus super incumbens, suaq; inde per arctos
 Fila trahit geminas: & mundi sustinet axem.
 Ille polum supra terras vndasq; leuatum
 Denotat, inq; gradus totum distinguit Olympum:
 Et paribus spacijs occasum cernit & ortum,
 Æquali totum dirimens discrimine cælum.
 Tum sibi quod nomen trahit alto à vertice, punctū
 Desuper insistsens, sublimi culmine monstrat.
 Stella corusca polum signat: de vertice punctum
 Angelus ostendit, flauenti effictus in auro.
 Linea sed, medium transit quæ immobilis orbem,
 (Appellant axem) geminas deducta sub Arctos,
 Ingentem obliquo circumfert tramite molem.
 Hanc, mediumq; orbem, tractumq; à vertice circū,
 Alter transuerso flexu circumdat Horizon:
 Et lato obliquam præcingit limite Sphæram:
 Dimidiumq; tegit cælum, mediumq; reuelat:
 Lapsaq; sub terras, exorta q; sidera monstrat.
 Huic

*Huic venti inscripti gyro, & superaddita circum
Ventorum simulacra, notis discreta locisq̃.
Hinc Notus, hinc Boreas gelida cōsurgit ab arcto,
Hinc Carbas Zephyrusq̃ aduersa nubilus ora
Respondet: medio quos inter limite pugnant
Africus, oppositusq̃ illi velocior Eurys,
Et Caurus, turbansque suas violentior vndas
Circius, & Calabrūm qui littora perflat, Iapix.*

*Humanæ ô diuina manus inuenta. Quid vsquā
Aut Deus, aut Natura facit: quod pollice nostro
Non imitemur opus, nostri gens æmula Patris?
Et quisquam has fabricas satis admiretur, & ore
Prædicet? antiquus si tale videret Aratus
Structū opus: egregio quā conderet æthera versu?
Si Proclo Sphæram licuisset cernere talem:
Nōne putas illum longè meliora fuisse
Scripta relicturum, quæ postera disceret ætas?
Sed quid commemorem Pelicanum viscera rostro
Tondentem, & cœli torquentem fortiter axes,
Pascentēque suo ieiunos sanguine pullos?
Fallor? an hac manifesta fides fit imagine Christi,
Et pietas mitis, quôque est complexus amore
Humanum Deus ille genus: cum sanguine fuso
Mortales culpas, & crimina nostra piavit:
Vnus homo vt nobis moriendo restituat rem,
Amissūque decus reparet: veteremque cruore
Effuso vitam mortalibus afferat ægris?*

I tu nunc, Roma, & Tarpeia rupe vetustum
 Admirare canem lambentem vulnera lingua
 Aerea: & huic posita iuratos lege ministros
 Præfice: qui capitis seruent canis ora periclo.
 Ecquidem potuit celsa canis æreus æde
 Spectantum monuisse oculos, dum vulnera lambit?
 Nos Pelicanus auis, CHRISTI prælustis imago,
 Admonet effuso passi de sanguine CHRISTI:
 Et simul impositum pronofert corpore cælum:
 Præripit & veteri diuinum munus Atlanti.

DVAE ROTAE CVM REGVLA
 immobili.

Sed qui sunt illi rubicundis orbibus orbes
 Impliciti, & numeris diuersi coloribus aucti:
 Plurima quos æquis distinguit linea metis,
 Erectosque adyti paries sub lumina profert?
 Prima suo denos complectitur orbita recto
 Axe pedes, instar canthi: circumque rotatur
 Quoque anni spacio semel: à leuâque Boræi
 Parte axis Libycum tardo pede vergit ad Austrû.
 Hac menses, annique vices numerique dierum
 Depicti, quos illa suo certissima motu
 Explicat, & totum metitur leniter annum.
 Stant gemini circum, proles Latonia, Phæbus,
 Et Phæbi Diana soror: præsignis vterque
 Virgineo vultu, & telis clypeoque decoro
Hinc

HOROLOGII ARGENT.

Hinc atque hinc pictus. telo, de parte sinistra
 Orbis, Apollo diem quemuis toto indicat anno.
 Oppositam digito Phœbe notat aurea noctem
 Indice: quæ medium post annum tarda sequetur.
 Sic tibi totius mirabile munus hic orbis
 Præstat Ephemeridis: mensesque diesque reuoluit
 Omnes, quos in se totus complectitur annus.
 Huic inserta rotæ numeris est altera pictis
 Orbita: lata pedes à vertice ad ima nouenos,
 Multiplici descripta nota, varijsque figuris,
 Tota rubens, nisi quos numeri peperere colores
 Diuersos, teretesque arcus & linea sectrix.
 Hæc tardo motu segnes se vertit ad Arctos:
 Et semel in centum tacite deuoluitur annis.
 Aureus hic fulget numerus, cyclique notantur
 Solares: Christi que insunt æqualiter anni,
 Et quem Bissextum proprio cognomine dicunt:
 Festaque mobilia: & spacijs distantia certis
 Interualla, quibus concurrens additur annus,
 Et quicquid magnis par est committere fastis.
 O superi, quantæ artis opus? quam fabrica docti
 Astronomi: in longum qui tam procul aspicit æuum?
 Quid? quod in hac etiam Solis super æthere metæ,
 Insunt diuersæ: quibus ille hyemalibus horis
 Imminet his propior terris, aut altior iisdem
 Extat, ubi æstiuos spaciosius exigit ignes:
 Aut etiam noctes exæquat ritè diebus?

Has

DESCRIPTIO

Has namque octauī variat trepidatio cœli,
 Immutatque vias Solis: punctosque dierum
 Nocti æquatarum, & moto cum cardine vertit
 Solstitia. Ille suum motus tardissimus orbem
 Voluit ab Austriacis gelidos Aquilonis ad axes:
 Absoluitque gradum, centum annis circiter, vnum:
 Vt veterum quidam studio solerte notârunt.
 Cumque duæ fuerint mediataque Myrias actæ
 Annorum: & tacitis ierint iam passibus octo
 Secula, sexque decem primæuo à tempore messes:
 Tunc liquidi hunc totum cœli conuersio gyrum
 Finiet: vt numeri docuit Copernicus arte.
 Tunc annus veniet (si vera est fama) Platonis,
 Et veterum rediuiua hominum gens sedibus Orci
 Surgēt ab Elysij ad pristina lumina vitæ.
 Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ vehet Argos
 Delectos heroas: erunt etiam altera bella:
 Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles:
 Denique totius facies reparabitur æui,
 Pristinæque antiquum renouabunt secula cursum.
 Sed quò digredior? quæuē ad mendacia labor?
 Vera placent Superis: veris de rebus agamus.
 Et quoniam verum est, Solis super æthere metas,
 Sidereosque polos haud cardine semper eodem,
 Solstitij nec stare loco vestigia fixo:
 Nōne decus magnū hic paries laudemque meretur,
 Ritè quòd has nobis punctorum ardentis Olympi
 Orbe

HOROLOGII ARGENT.

Orbe vices picto, ad certam demonstrat amussim³
 Hactenus exposui geminos tibi carmine circos:
 Nunc extrema operi succedit cornibus altis
 Orbita: quæ reliquis, cætrum haud, informe duabus
 Insistit, tres lata pedes, viridique colore
 Conspicua, & geminis superans extrema rotarum
 Cornibus. hæc intra numerus tibi proditur anni,
 A prima elapsi morientis origine mundi,
 Aque Deo nato & numerus spacio Aureus æquo,
 Solarisq;ue cyclus, quoduis & mobile festum,
 Et quicquid centum brumarum continet orbis.
 Tum, ne quod spaciū sit fortè coloribus orbū,
 In viridi plano Germanam subijcit oram,
 Finitimasq; plagas, & mœnia clara vetusti
 ARGENTORATI, & celsæ miracula turris,
 Tecta q; magnæ vrbis viuo depicta colore.
 Præterea in laterum muri compagine firma
 Hinc atque hinc Lunæ tenebræ, Solisq; latebræ
 Sunt scriptæ, paries quotquot comprehendere circum
 Angustus potuit. nam si comprehendere centum
 Annorum Eclipses spaciū potuisset inane:
 Omnes appictæ digito solerte fuissent.
 At quæ sunt inibi sex ultra lustra notatæ,
 Hæ tibi principium & medium, finemq; moramq;
 Cuiusque ostendunt, & certo limite signant.
 Quæ superant aliæ, has geminæ cepere tabellæ:
 Quarum post multos vsus cū venerit annos,

DESCRIPTION

*Hæc adyti poterunt depicta ad limina figi.
Usque adeo nihil est, quod quisquam carpere possit:
Neglectumue queri, aut vincto suspendere naso.*

PLANETARVM MOTVS hebdomadarius.

*Hæc suprâ, clari tectum profulget Olympi
Cæruleum, & stellis radiant noua culmina cœli.
Hinc atque hinc geminæ panduntur in æthere ualvæ:
E quarum læua, sinuato tramite ad Austrum
Qualibet vna die curuis erratica bigis
Pronebitur stella, & nitida se ostentat in aura:
Cumque dies Solis supremo lumine montes
Contigerit: tum primum alto se limite tollunt
Solis equi, elatis efflantes naribus ignem,
In curru Phæbus, claris lucente smaragdis
Considet, & leuibus per cælum fertur habenis:
Dextra manus sceptro, caput est diademate fultus,
Læuâque fert almi radiantem lampada Solis.
Aureus ipse axis, temo aureus, aurea summae
Curuatura rotæ radiorum argenteus ordo.
Inde ubi clara dies Lunæ mortalibus alium
Extulit os terris: tum fulgida Cynthia curru
Inuehitur biyugo, pharetram celeresq; sagittas
Venatrix, arcumque gerens, sinuatâque Lunæ
Cornua habens læua. Cernæ subicere iugales
Temonem, & socia ducunt ceruice Dianam.*

Tertia

HOROLOGII ARGENT.

Tertia, sed clara cum lustrat lampade terram
 Orta dies: foribus prodit Mars asper atroci
 Inuectus curru, manibus molitur habenas,
 Quæ consanguineo ductat Bellona flagello.
 Ipse ensem, clypeumque, & rubræ cornua cristæ,
 Loricamque humeris gerit, & furit asper in armis.
 Ut cum Turca ferox gelidi prope littora Ponti
 Bella morens, immittit equos atque agmina curru
 Proterit, & raptas fugientibus ingerit hastas.
 Postera cum veniet tenebris Aurora fugatis:
 Tum graue Mercurius cæcis caput efferet umbris,
 Alatosque pedes quatiet, virgamque leuabit
 Somniferam dextra, geminus quam circuit anguis,
 Tegmen erit capiti fulua de parte galerus:
 Mira Deo facies, & quam decet alitis esse:
 Qui data per terras, & per mare nuncia portet.
 Ibides hunc vectant iunctis per inania pennis,
 Ibides Ægypti volucrum genus, ibides acri
 Aduersæ rostro serpentibus, & propè nullis
 Expositæ morbis, nec fædæ sordibus, & quas
 Lurida non unquam ledunt aconita veneni.
 Hinc ubi se quintus sustollet ab æquore Titan,
 Mercuriusque iterum noctis successerit umbris:
 Protinus è foribus solio sublimis eburno
 Iupiter egreditur Pisea qualis in æde
 Phidiaco stabat torno cælatus, & auro
 Undique munitus namque aurea fronte corona

Vide Aeo-
 lian. lib
 10 de ani-
 mal. cap.
 29.

DESCRIPTIO

Emicat, & digitis sceptrum regale coruscis
 Ipse gerit, trabeæque leuat succinctus habenas:
 Currum aquilæ ducunt socia ceruice iugales,
 Reginæ volucrum, sicut rex Iuppiter omnes
 Aeternis regit imperijs hominésque Deósque.
 Hunc Venus insequitur, lucem cum prouehit almā
 Sexta dies, Iouem nata Venus, pia mater Amorū,
 Pérque leues auras iunctis inuecta columbis
 Aduolat, inque sui durat statione diei.
 Huic decor, & nullis facies obnoxia mendis,
 Auri comúmque caput, flautique in vertice crines,
 Sidereique oculi, & vultus sine labe pudicus,
 Et planè humano diuina in corpore forma.
 Vt meritò huic cedāt Gnidiæ sacra marmora Diuæ,
 Plin. libr. 36. cap. 5. Praxiteles olim tanta quam fecerat arte:
 Vt multorum hominum in sese conuerterit ora,
 Accieritque procul Gnidon, in iuuenémque procacē
 Ignibus à fictis veros immiserit ignes.
 Tandem vbi iam summo nitidus se ostendet ab ortu
 Lucifer: hebdomadique addet lux septima finem:
 Horridus exhibit vultu Saturnus atroci,
 Pileto inuectus. Socio lea iuncta draconi
 Temonem ducit: dextra ipse immanis acerba
 Infantem prensu crudeliter admouet ori,
 Vt voret, & tepidos discerpant dentibus artus.
 Leuo humero falcem gerit: hac mortalibus annos
 Absecat, & tristem properat per funera mortem.
 Dira

HOROLOGII ARGENT.

*Dira senifacies, & lurida mortis imago:
 Terribilisque oculi, & sicca caua lumina fronte.
 O securi homines, cæcum qui tegitis æuū,
 Immemores lethi, huc oculos conuertite vestros,
 Et spectate grauis simulacrum flebile mortis,
 Nam quid te Clarias animum coluisse per artes?
 Quid syluis agitasse feras? quid bella ciere?
 Quid linguam eloquio iuuat informare disertō?
 Regna quid, & totum patrijs ditionibus orbem
 Addere? quid Veneris prodest decerpere fructus?
 Omnia debentur morti: mors omnia tollit.
 Nec tua te redimet multi doctrina laboris,
 Nec validum robur mēbrorū, aut Martia virtus,
 Nec dulce eloquium, nec regnum aut munera Cræsi
 Nec te blandus amor, Venerisque tenerrimus vsus
 Eripient mortis, quæ dissipat omnia, falci.*

INDEX QVARTARVM HO.

RAE, ET MINVTORVM CVM

duobus Angelis, duobusq; leonibus.

*Proxima nunc se offert supra ipsum Regula cælum
 Aurea, quæ quartas horarum tramite certo
 Metitur partes, & quaque reuoluitur hora,
 Ostenditque oculis stella fulgente minuta,
 Huic gemini appositi dextra læuâque coruscant
 Aligeri infantes, formosi crinibus ambo,
 Sidereisque oculis. & lucida membra decori,*

DESCRIPTIO

*Vt, quæ nudorum tabula pinguntur Amorum.
 Gratus in ore vigor, facies, quam dicere possis,
 Angelicam in pueris, cervix, humerûsq., manûsq.
 Lacteo læ, impubésq. genæ, quibus plurimus ignem
 Affudit rubor, & formosa per ora cucurrit.
 Indum sanguineo veluti violauerit ostro
 Si quis ebur, vel mista rosis ubi lilia fulgent.
 Horum alter, cum lapsa sonos dedit hora supremos,
 Sceptra manu mouet, & totidem ciet aliger ictus.
 Ut, cum fortè nouem modulantur carmina Muse,
 In medio Phæbus tactumq. modòsq. gubernat:
 Alter, ubi finem dederit mors atra sonando,
 Desieritq. horæ pulsus (mirabile visu)
 Inuertit vitrum læua, inuersumq. tuetur.
 Est gervinum vitrum artifici sub pollice factum,
 Lignòq. inclusum tereti, circumq. columnis
 Distinctum exiguis, fundoque capaciùs imo
 Ac supero. In medio cervix vtriusque tenaci
 Aptatur cera, & nodum coit æqua sub vnum.
 Pars supera in reliquam tenues deuoluit arenas,
 Metiturque horæ labenti puluere tempus,
 Lamina quem paruo ferrata foramine mittit.
 Qualis apud veteres erat olim Clepsidra Graios,
 Defluxu tempus quæ mensuraba aquarum,
 Cætopijsq. viris lucem signabat & horas:
 Tale manu, quoties cursum definiyt hora,
 Aliger à dextro conuertit limite vitrum.*

Obuia

HOROLOGII ARGENT.

Obuia turba hominum vultus ad sidera tollit,
 Miraturque manus pueri, causasque requirit.
 Sunt qui numen inesse putent: pars vivere credunt:
 Plerique occultas puerili in corpore vires
 Permixtas dicunt: homines stupor arripit omnes.
 Nec sanè immeritò: quis enim prius audiit vnquam
 Talia Lysippi cælo, tornòue Myronis,
 Praxitelisue exculpta manu? quis vidit in orbe
 Tale quid huic operi compar, similèmue laborem,
 Seu totam aspicias fabricam, seu singula membra?
 Nam, quid ego hîc malū memorē? quid torta colubri
 Pectora, & antiqui simulacra hîc fixa Draconis,
 Vt tabule immineant, Adæ testantia lapsum
 Atq; Eue, primorum hominum, quos perfida adegit
 Fraus anguis vetitos decerpere ab arbore fructus?
 Quid dicam infantes alios? quid torua leonum
 Ora, trucesque ungues, quibus illi insignia gestant
 ARGENTORATI, & galeam cristasque comâtes?
 Quid multis? nihil est, quod quis desideret vsquam,
 Quando nihil defit, nihil vlla in parte redundat.

ASTROLABIUM CVM SEPTEM Planetarum indicibus & Dracone.

Sed qua laude canam? quo denique persequar ore
 Insignem viginti horis & quattuor arcum,
 Et septem indicibus clarum, mediòque Dracone,
 Axèque signifero, & ductis à vertice gyris?

Mi=

DESCRIPTIO

Mirum opus ingenij, mirāde hæc machina dextræ,
 Quam melius nullum, qua nec perfectius unquam
 Extitit artis opus, veterum nec docta virorum
 Plenius ingenuo monimenta labore pararunt.
 Heu quòd nō apta est numeris hæc fabrica nostris,
 Et fugiunt molles desueta vocabula versus.
 Nam quo hæc appellem, quòue apto nomine digner?
 Dicam Astrolabium, quamuis mihi curta repugnet
 Syllaba, quando parum, quo dicam nomine, refert.
 Ornari res ipsa negat, contenta doceri.
 Et si qua externa referantur nomina lingua,
 Hoc operis, non vatis erit. non omnia flecti
 Possunt, & propria melius sub voce notantur,
 Ceu veterum quidam cecinit cultissimus augur,
 Sed tamen vnde mei capiam primordia versus?
 Vnde hîc incipiam, tanta est vbi copia rerum?
 Exterior limbus (quid enim vetat inde moueri?)
 Quattuor & viginti aptè discriminat horas,
 Temporibusque dies & noctes terminat æquis.
 Interior varijs depicta est area gyris,
 Orba omni motu. pars horum circinat arcus,
 Pars flexu incedit transuerso, & dissecat orbes.
 In medio punctum est (nostri de vertice nomen
 Illi induunt, Arabum dixit vox barbara Zenith.)
 Quod capiti insîstens quauis regione locorum
 Et quaq; vrbe suum, populis haud omnibus vnū est.
 Hoc aliqui cingunt arcus, instârque coronæ
 Cir-

HOROLOGII ARGENT.

Circumeunt, Arabes quos *Almicantara* dicunt.
 Atque hi surgentes vasto de gurgite flammæ
 Monstrant, quòtq; gradus quævis peragrârit. Eorū
 Maximus, obliquo qui ducit fila meatu,
 Arcus Finitor, terramque & sidera mutat,
 Ostenditque aliud tibi cælum, aliudque relinquit.
 Ipsum aliqui punctum dirimunt, mediūmq; pererrāt
 Transuersum ducti sublimi à vertice gyri.
 Azimuth hos Arabum vox barbara nomine dicit.
 Sunt tres præterea diuerso tramite picti,
 Distantes spacijs inter se equalibus orbes,
 Alter ad octipedis deflectens brachia Cancri,
 Æstiuūque trahens medio sibi nomen ab æstu,
 In quo pro lucit Titan lucēque moramque
 Feruidus, & longas metitur tardior horas:
 Alter Hyperborei vergens ad sidera Capri,
 Vltima designat redeuntis lumina Phœbi,
 Attingitque oram paruo discrimine limbi:
 Tercius in media fabricæ regione locatus
 Componit spacio equali noctēque diēque,
 Signiferūque pari distinguit limite circum,
 Lanigeri signo & lato curamine Libræ.
 Sunt orbes etiam bisseñū hac parte domorum,
 Omnia qui ostendunt totius limina cæli
 Inferiūs picti, facies quæ lata patescit
 Astrolabi. his reliqui iuncti stant ordine gyri,
 Quotquot inæquales monstrant mortalibus horas.

DESCRIPTIO

Hos super, incumbens Reti sua fila retorquet
 Signifer ingenti stellarum cinctus amictu,
 Sidera q̄, ostentat tacito labentia motu
 Leniter, & Varijs animantia picta figuris.
 Laniger hîc Aries, aduersaq̄, Libra refulgent:
 Hîc Taurus, Taurôque aduersus Scorpîus ictu,
 Hîc gemini, appositôque minax Iacularius arcu:
 Hîc Cancer micat, & vultu Capricornus atroci:
 Hîc Leo, & obliqua fluuinalis Aquarius vrna:
 Hîc Virgo, & Pisces aduersi virginis astro,
 Omnia reflexi plano signa addita gyri,
 Æthereas per quæ Phœbus moderatur habenas.
 Isque ferè totidem Circus conuertitur horis,
 Et duodena suo circumfert signa meatu,
 Extrema diuidui quot denotat orbita limbi.
 Sed neque carminibus centrum sublime tacebo,
 Indicibus septem constructum atrôque Dracone.
 Quos inter primus labentis tempora Solis
 Indicat, & lucem spacijs determinat æquis,
 Et quibus in vita communibus vtimur horis
 Noctes atque dies, digito circum indice monstrat.
 Tum quod signiferi teneat Sol aureus astrum
 Quoque die, quauis que hora: quamq̄, altus ab vndis
 Oceani exierit: quo insistat vertice cœli:
 Quamq̄, domũ intrarit. (sunt limina plura domorũ)
 At reliqui reliquos demonstrant orbe Planetas
 Signifero circum errantes, mediumq̄, loquuntur
 Cuius

HOROLOGII ARGENT.

Cuiusvis motum, quo signo quisque moretur
 Zodiaci, quæ quisq; domus cælestia seruet
 Limina, quo celsi consistat vertice cæli:
 Quantum hinc Hesperio, quantum illinc absit Eoo
 Falcifer, aut surgens felici Iupiter ortu,
 Gradiuū sue fero minitans immania vultu,
 Aut Veneris sidus, Maiæque Atlantide natus,
 Aut quæ noctiuagis Luna implet cornibus orbem.
 His Draco terribilis, squamisq; ingentibus horrens
 Additur indicibus, sinuatq; volumina tergo
 Immensa, & moto cum signis circuit axe.
 Ille vias Lunæ monstrat, Solisq; labores,
 Condit ubi ardentes atra caligine currus,
 Inuoluitq; orbem tenebris. Ille ora Dianæ
 Luce orbanda notat, quoties fraterna sorori
 In capite & caudis opponit lumina Phæbus.
 Quid tibi opus posthac numeratis arte tabellis,
 Ut ventura notes obscuri lumina Solis,
 Stellarūque faces longè lateq; requiras,
 Et quantum à media distent erratica meta
 Sidera Signiferi, & coëant quo rursus in axe,
 Atque iterum oppositis opponant ignibus ignes?
 Hic propius cernis, quos dant vaga sidera, vultus,
 Cernis congressus varios, & mutua nexu
 Corpora iuncta suo, & socio concordia motu,
 Cernis & oppositos, quos præbent desuper, ignes.
 Hic media sub nocte vides argentea Solis

DESCRIPTIO

*Lumina fulgere, & media sub luce Dianam
 Splendere, & cælum noctuq; dieq; coruscum,
 Stellarumq; faces: seu clara lampade Phœbus
 Illustret cælum, seu nubilus ingruat æther,
 Cum neque sunt astrorum ignes, nec lucidus aura
 Siderea polus: obscuro sed nubila cælo,
 Et Lunam in nimbo nox intempesta recondit.
 O mirandum opus. & quisquam satis omnia versu
 Explicet, aut possit verbis æquare laborem?
 Eheu, cur numeris volui committere tantum
 Pondus, & insuetos cæcus perrepere saltus,
 Perq; vias nostris mortalibus ire negatas?
 Nam quis sat dignis possit comprehendere verbis
 Omnia, quæ miris hæc præstat machina normis?
 O vates Lucane, & tu sublimis Arate,
 Tuq; potens numeris & mente sagace Manili,
 Hoc debebatis iamprimum viuere seculo,
 Vt vestri ornarent opus hoc mirabile versus,
 Quando hodie pauci cælestia sidera vates
 Rimati ætherios celebrarunt carmine motus.
 Sed quia nunc vobis, fato poscente, earendum,
 Esto satis, nostræ quod tentauere Camænæ.*

LVNAE ILLUMINATIONES.

*Ecce autem interea stellati limen Olympi
 Panditur, & faciem Lunæ mortalibus offert.
 Qualis enim vero profulget menstrua cælo*
Di

Dictynna, alternatque vicet, & lumina quondam
 Exerit, aut faciem obscura caligine mergit,
 Nunc noua, nunc pleno complens sua cornua vultu,
 Nunc medium sinuans diuiso lumine gyrum:
 Talis in hoc etiam varia micat æthere forma
 Cynthia, nec faciem retinet sibi semper eandem:
 Interdumque micat, lumenque obscura vicissim
 Deprimit, obtusis interdum cornibus errat.
 Sæpe reuertentes sinuata recolligit ignes,
 Sæpe coit pleno completis cornibus orbe,
 Et solida humentes prospectat imagine terras.
 Regula quin etiam, parili circumflua motu,
 Ætatem illius telo demonstrat acuto,
 Lumine seu crescat, medium seu contrahat orbem.
 Utque rota inferior totum tibi denotat annum,
 Astrolabumque dies quosuis designat & horas:
 Sic ista exactum commonstrat regula mensem.
 Quis furor, Ææo deductam carmine Lunam
 Credere, Medææue olim pollentibus herbis
 Detractum summo cæli de vertice Solem?
 Carmina nil cælo possunt inferre, perenni
 Quod lege innocuum manibus non subiaceret istis,
 Nec patitur gelidi violenta aconita veneni.
 Sola ars, quæ cæli motus rimatur, & ortus
 Occasusque notat, longoque examinat anno,
 Est Medea sagax, est Solis filia Circe.
 Sed mihi vos causam interea memorate Camæna,

DESCRIPTIO

Cur, modò cùm totum compleuit lumine gyrum,
 Decrescat rursus, & sinuet noua cornua Luna,
 Donec in obscuras mergatur tota tenebras.
 An, quia parte sui media globus ipse nitorem
 Fert propriũ, & varias splendor solet edere formas,
 At parte ex reliqua nitidi stat luminis experts,
 Dimidiũque globi obscura caligine mersum est?
 Vt cùm fortè pilam candenti lumine pictor
 Ornauit parte ex media, mediaque reliquit
 Obscuram, & nulla fulgentem luce coloris.
 Cumque globum profert lucentem ex aethere Luna
 Orbe voluta suo, paulatim cornua sumit,
 Et lucem ostendit, donec pars fulgida totam
 Extulerit faciem, & plenum compleuerit orbem.
 Inde minutatim lumen Lunare recedit,
 Hincque aliquid de lucifera parte abditur, illinc
 Obscuræ quiddam partis succedit in orbem,
 Velato donec fiat noua lumine Luna?
 Nam sic Astrologi veteri Babylone docebant,
 Culta vt sublimis testantur scripta Lucreti.
 An verò, quia fraternis obnoxia Phæbæ
 Stat radijs, Solisque micat perculsa nitore,
 Luce carens omni, nisi quam de sole receptam
 Spargit, & infuscas per noctem proijcit umbras:
 Vtq; rei in speculo representatur imago,
 Inq; acies nostras ab eodem missa recurrit,
 Si Solis nocturna capit Diana figuram,

HOROLOGII ARGENT.

*Lucémque & radios, quibus illustrata reuifit
 Mortales oculos, & noctis semouet umbras?
 Longius hinc quantò solis secedit ab orbe,
 Tantò eadem semper maiori lumine crescit,
 Donec eum aduersa mundi prospectat ab ora,
 Exoriensque videt labentis lumina Solis,
 Et plenis effert completum cornibus orbem:
 Inde reuersa, suiq; petens primordia signi,
 Qua noua deserto natalia cornua Phæbo
 Sumferat, ex alio signorum tramite cursum
 Dirigit, & quantò propius iam Solis ad ignes
 Accedit, tantò magis ac magis aurea condit
 Lumina, fitq; minor, donec iam proxima Soli
 Iungitur, ostenditq; nouum mortalibus orbem?
 Sed quò progredior? vos hæc memorare potestis
 Aptius Astrologi, qui, quæ natura negauit
 Visibus humanis, oculis ea mentis aditis.
 Nunc aliò me vela vocant: feror æquore magno,
 Et longum mihi restat iter, circumq; tuenti
 Multa noua occurrunt versu memoranda recenti.
 Nā quocūq; oculos, fabricæ vsq; ad culmina vertas,
 Obuia semper ibi, quæ demireris, habebis.*

IMAGINES QVATVOR HORAE partium, seu Quartarum.

*Iamque adeò numeris veniunt celebranda, lebetes
 Quæ circum assiduo volitant simulacra meatu,
 Et*

DESCRIPTIO

Et sese pariter fugiunt, pariterque sequuntur,
 Quadruplicique horæ pulsant discrimine partes,
 Quattuor omnino. (tot enim distinguitur hora
 Partibus, vt solers veterum doctrina probauit.)
 Hæc nostræ peragunt sculptis imitamina membris
 Quadrifide ætatis, nostros mentita colores .
 Iamque vbi prima horæ delapsa est quarta, sonumq;
 Poscit, ibi paruus, puerique simillimus æuo,
 Infans progreditur, flauentiq; ærea malo
 Tintinnabla ferit, sonitumq; dat acriter vnum.
 Egregius forma puer, & florentibus annis,
 Succinctus Tyriam chlamydem, cultuque superbus.
 Quo paruos regum posset præcedere natos.
 Laudaret faciem Liur quoque nam decor oris
 Integer, & nigri formosæ frontis ocelli,
 Et male impubes, & eburnea colla, manûsque
 Lacteolæ, & Phryxo crines & Apolline digni.
 Quid multis? pueri numeris decor omnibus aptus,
 Vi similem huic quondam vix aurea viderit ætas.
 Mox, vbi quarta horæ tacito venit altera lapsu,
 Consequitur telo iuuenis, duroque secundam
 Partem horæ pulsu quatit & conduplicat ietum:
 Illi imberbis adhuc facies, & concolor æuo
 Vultus, & apta comis verno de flore corona.
 Tum prætexta pedes vento demissa sub imos.
 Membris robur inest, & adhuc florentior ætas
 Apparet, viridesque genæ, rubefactaque picto
 Ora

HOROLOGII ARGENT.

Ora croco, & solidis constantes viribus artus.
 Excipit hunc leni paulò maturior ævo
 Vir fortis, mediusq; inter iuuenémque senémque
 Temperie, & sumptis miles generosus in armis.
 Namque habilis laterigladus, loricaq; tergo,
 Et capiti galea est, & rubræ cornua cristæ.
 Dextra manus clauam regit: hanc, vbi tertia fluxit
 Quarta horæ, validè vibrat, & triplici insonat ictu,
 Tandè, vbi summa horæ veniūt momēta peractæ,
 Cana fronte senex, & fessus anilibus annis
 Incedit, tardoq; mouet membra horrida passu,
 Adiutis curuo baculi fulcimine neruis.
 Canicies veneranda illi, promissaq; barba,
 Ipsa etiam cana, & discrimine secta bicorni
 Prominet in rigidum pectus, tum plurima vultum
 Ruga arat, inque caua stant humida lumina fronte.
 Pero pedem tegit, antiquo pro more galerus
 Tegme inest capiti talos descendit ad imos
 Lena duplex, hirtum remouetq; à frigore corpus.
 Tunc vbi quarta sonum poscit suprema, senilem
 Attollit baculum, sua tela, & timula plagis
 Æra domans tremulis, ægrè dat quattuor ictus.
 Egregius sanè ludus, mirandaq; dextræ
 Humanae fabrica, & magni res plena decoris,
 Nec prisci immeritò septem miracula mundi
 Inter habenda, illis si non præponere possis.
 Fertur Erechthides statuas posuisse, videntum

DESCRIPTIO

*Viuendūque pares, & lignea Dædalus ora
 Sponte impulsa sua, ac viuos spirantia vultus,
 Vocalemque sonum in multis finxisse figuris.
 Fertur in errorem variarum ambage viarum
 Duxisse ambiguo Minoia limina flexu,
 Inque illis geminam tauri iuuenisq. figuram
 Clausisse, Aetæo bis pastum sanguine monstrum.
 Fertur & hæc eadem Minois regna perofus
 Insuetum per iter septem petiisse Triones,
 Præpetibus pennis ausus se credere cælo.
 Omnia penè fide finxit maiora vetustas,
 Artifices mirata suos: & Græcia mendax
 Indigenum euexit nimio rumore labores.
 At nihil huic quondam veteres vidistis Athenæ
 Par operi, nec clara tuo Rhodos aurea Sole,
 Nec Phrygiæ Pelopis tellus, nec Pisa, nec Elis,
 Nec tu, Roma potens, multisque superba theatris,
 Et Martis Campo & Tarpeij culmine templi,
 Nec tu Pyramidum cultrix Ægyptia tellus,
 Nec Mausoleo tumidissima Caria busto,
 Nec Trina mirata Ephesus memorabile templum.
 Nam cæci hæc fuerant spectacula ludicra mundi
 Pleraq., nec magnum miseris mortalibus usum
 Præter vana dabant cupidae oblectamina menti.
 At signa hæc tereti circum labentia motu,
 Et totam breuib. complentia passibus horam,
 Egregia humana monimenta ætatis, operta
 Nos*

Nos ratione docent vti mortalibus annis,
 Quando brevis miseræ nobis data portio vitæ,
 Obrepitq; homini non intellecta senectus,
 Et momento ætas angustæ labitur horæ.
 Ergo infans primum qui malo personat ictum,
 Ætatem primam nascentésque indicat annos.
 Ille docet teneræ lusus & lubrica vitæ
 Tempora, quàmque cito decurrant omnia lapsu,
 Ille docet fragili nibile esse fugacius æuo,
 Ille docet vitæque suam formæque decorem
 Expositum morti, tacitoque senescere passu.
 O pueri, huc oculos crebrò conuertite vestros,
 Discitèque, ô miseri, quàm præceps alea vitæ,
 Quàm dubia hæc ætas, quàm paucis transeat horis.
 Nam frustra, gelidus quando tardante senecta
 Sanguis hebet, frigentque effætæ in corpore vires,
 Frustra præteritos iam deplorabitis annos.
 Tum labor & curæ veniunt, tristisq; senectus,
 Et genus omne mali circumfilit agmine factò,
 Ipsaq; morbi instar miseris mortalibus ætas,
 Et mors dura atris hominem circumuolat alis,
 Momentoque omni ceruicibus imminet ægris.

IMAGINES CHRISTI ET
 mortis.

Atque ecce vti tacito serpit pede, quolibet horæ
 Momento, informis lethi insidiantis imago?

Nam quoties passum absoluit, natæq; propinquat
 Infantis tenera effigies, ut personet ære
 Primam horæ partem, toties fert obuia gressum
 Desuper oppositum species asperrima mortis.
 Utq; auceps tacito ceruis pede retia tendens
 Vertice in Hercynio, tenebris obtectus & umbris,
 Circuit hinc illinc positarum lina plagarum,
 Dum tandem adducto consistens eminus arcu,
 Collimet, pariterq; oculos & spicula tendat:
 Tum neruum intendit, telumque volatile torquet,
 Alitis ut celeri contingat arundine pennas:
 Haud secus insidias ætati pallida primæ
 Mors struit: intentatq; necem, funusq; minatur,
 Atque omnes aditus, abitusq;, omnemque pererrat
 Undique circuitum, & certum quatit improba telum.
 Terribilis visu species, tota arida, tota
 Ossea, nec venis, nec duris turgida nervis:
 Nulla cutis: caro nulla: nec ullus fronte capillus:
 Nulli oculi, sed fronte caua caua tempora liuent,
 Tota incana situ: scabri rubigine dentes,
 Perpetuò nudi, tum liuor in ore relecto
 Plurimus: & macies manibus digitisque suprema:
 Et ventris pro ventre locus: pendetq; tremendum
 Pectus, & à spine tantummodo crate tenetur.
 Articuli vix osse hærent, genuumque labascit
 Orbis, & infirmo subsistunt poplite tali.
 Adde quòd ornatus nihil hîc: non ullus obesis
 Annu.

Annulus est digitis, nullum diadema, nec ullus
 Circuit ex auro collum lacrymabile torques:
 Solum artus rigidos niuei velamen amictus
 Contegit, & vili circumdat tegmine cratem.
 O diram faciem, ô tetri crudelia rictus
 Ora. Quis hac misera deformis imagine mortis
 Non animo ingentem capiat luctumque metumq?
 Quis mortem aspiciens fastu turgescat inani?
 Quis cristas tollat? quis spectet ludicra mundi,
 Oblitusq; sui, lethalisq; immemor horæ?
 Nam quid te facie pulchra iuuat esse venustum?
 Hæc tua post mortem facies, tua forma futura est.
 Quid terre cumulasse iuuat tot munera, & auri
 Vim tantam? quando nullas Acherontis ad annem
 Hinc portabis opes, attritum præter amictum.
 O homines cæci, fragiles qui degitis annos,
 Conijcite huc oculos, & imagine discite ab illa,
 Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur: ordo
 Quis datus, & curti quàm mollis terminus æui,
 Omnibus à tergo pallens mors imminet horis,
 Et quouis propior momento accedit, vt æuum
 Mortale abruptat, Stygiasq; abstrudat ad undas.
 Gratia sit CHRISTO, rapidæ qui liuida mortis
 Ora premit freno, & nostris ceruicibus arcet,
 Tūque adeò, Mors, siste gradum. Quid, perfida, tãto
 Huc properas lapsu, tenero insidiata puello?
 Siste gradum, digitosq; inhibe, nondū imminet hora.

Nónne vides, mors atra, tuam prorepere mortem,
 Natū Patre Deo, pura de Virgine CHRISTVM?
 Atq; eccum, pueri quanto munimine partes
 Defendat placidi effigies mitissima CHRISTI.
 Namq; vbi prima horæ puero momenta sonanti
 Mors lethū intentat, iámque osse extrema minatur:
 Tum subitò CHRISTVS cælo procurrit aperto,
 Os humerósque Deo similis, retróque repellit
 Insidias sæuæ mortis, puerúmque tuetur.
 Qualis enim quantúsque olim victricibus armis
 Morte triumphata Stygijs rediuius ab oris
 Ad superos redijt deiectis CHRISTVS Auerni
 Ditibus: & croceo victor velatus amictu,
 Arboreaq; cruce & spolijs insignis opimis
 Insignem prædam cælestibus intulit oris:
 Talis in hoc etiam CHRISTI victoris imago
 Æthere prorumpit: simulacraq; mortis inique
 Reprimit, & fines intra metasque coerces.
 Ofidum humanæ custodem dulcèq; vitæ
 Præsidium: nostros quod parma protegit annos,
 Proturbátque hostem, nosque atri faucibus Orci
 Eripit: & populis donat mortalibus æuū,
 Æuū cælestis vitæ. (nam debita fato
 Corpora vitali per mortem subtrahit auræ,
 Sidereásque animos secum perducit ad arces.)
 Solus enim CHRISTVS superata morte beatam
 Restituit vitam: solus de morte triumphum
 Æter.

HOROLOGII ARGENT.

Æterna retulit: solus penetralia Diuini
 Rupit, & obstructi reſerauit limina cœli.
 Idem hodie necis inſidias & ſpicula abarceſcit,
 Mortiferumq; ſubit mucronem, ipſumq; morando
 Suſtinet, & clypei obiectu fera tela repellit.
 Illa ſed vt triſtem retrò tulit acta repulſam,
 Et pueri amiſit prædam, palmâſque tetendit
 Chriſto humiles, tergumq; Deo lacrymabile vertit,
 Non longum cunctata, aliud ſecum ipſa volutat:
 Et iuueni horriſicum molitur perfida lethum.
 Tum ſecum: Mene incepto deſiſtere victam,
 Nec poſſe vilius mortalem abrumpere vitam?
 Quippe vetor fatis. quòd ſi non ora puelli
 Perdere morte licet: liceat iuuenemque virumque
 Opprimere, & ſeros præcidere falcibus annos.
 Hæc ait ore fremens, & triſtibus effera flammis:
 Obſeruâtque virum, & iuuenis veſtigia luſtrat.
 Vix etenim CHRISTUS repedit, greſſumq; reducit,
 Cum cœcis iterum ſenſim prorumpit ab antris
 Lurida mors: iuueniq; horæ momenta ſonanti
 Altera, crudelq; intentat cum funere lethum.
 Sed fugat hanc iterum perrumpēs æthera Chriſtus,
 Et validis iuuenis tutatur viribus annos:
 Quin etiam ætati minitantem ſeu a virili
 Funera in obſcurum reiicit Deus optimus antrum:
 Nec poſitos vnquam patitur tranſcurrere fines.
 Ter ſonitus horæ nūc mors oſſe minatur:

Ter

DESCRIPTIO

Ter fugat hanc CHRISTI occurrēs victoris imago,
 Donec ad aīnosum delapsa est hora Chremetem,
 Tinnula vti plagis ille insonet æra quaternis.
 Tunc etenim Morti CHRISTVS permittit, vt horā
 Pulsset, & incuruum feriat tristi osse lebetem:
 Quando senex omnes vitæ iam transijt annos,
 Debeturque suo, naturæ lege, sepulchro.
 Nam præfixa homini Mortiq; est meta tremenda,
 Et sua cuique dies, & ineuitabile tempus,
 Quod nemo poterit celeri transcurrere lapsu.
 Non etenim dubio fluitant mortalia casu,
 Arbitrium nec cæca regit fortuna: nec omnes
 Res hominum tenui pendent sub tegmine fili.
 Fata regunt homines: fato mors aduenit æquo:
 Nec citius morimur, morimur nec tardius vnquam
 Quàm superis visum. nostras Deus, ipse gubernat
 Et vitæ mortisque vices, quando omnia certo
 Consilio firmata Dei: qui tempora pulchro
 Ordine dispensat: qui iustis finibus annos
 Includit vitæ, & spaciū determinat æui.
 I nunc fama vetus, Troum mirare laborem,
 Iustar montis equum, diuina à Pallade factum,
 Armatoq; vteri completum milite costas.
 Marmoreamq; Ephesi verbis extolle Dianam,
 Phidiacumq; Iouem, cliuosi numen Olympi.
 Inunc, immanes veterum mirare Colossos,
 Qualis erat, Lysippe, tuus quem sede locasti
 Her.

HOROLOGII ARGENT.

*Herculei quondam (si vera est fama) Tarenti:
 Aut qualis Rhodij Solis, quem Lindius ille
 Condidit arte Chares, toto celebratus in orbe:
 Aut qualem Aruerni Teutatae habuere Colossus,
 Schaffhusijque olim, ripis gens accola Rheni.
 Me CHRISTI effigies, & mortis imago repulsæ,
 Præliâque oblectant: & præsentantia vitam
 Humanam simulacra viri, iuuenisque, senisque,
 Infantisque iuuant, & delectamine grato
 Perfundunt animum. Quis enim præclarius vllum
 Vllibi vidit opus, quascunque accefferit oras?
 Siue Italos lustrarit agros, seu Celtica rura,
 Extremosque hominum Morinos, seu littore rubro
 Ægypti terras peragrarit, & vltima Bactra.*

CYMBALVM.

*Sed quid ego hîc simile humanæ procul audio vocis?
 Fallor? an excelsi subter fastigia coni
 Insignis galeæ: quæ alti diadematis instar
 Imminet, & varijs opus omne decoribus ornat:
 Cymbala tinnitum & vocum simulacra dedere?
 Nam quâ summum excreuit opus, sublimèq; tectû
 Attigit: hîc superimposita est de marmore moles,
 Tegmen magno operi, gemmatae instarque coronæ:
 Rupibus excisa, & varijs cælata columnis,
 Quæ flexo in conum flammantem tramite surgunt:
 Arte laboratæ superadstant plurima circum*

DESCRIPTIO

Signa peristylijs, vinos spirantia vultus,
 Ipsa intus tecti facies laqueata, tholôque
 Condita marmoreo, sculptôque toreumate iuncta.
 Illic sunt apto posita ordine tinnula circum
 Æra pavimento: quæ ferreus actus in orbem
 Circulus impellit, quoties venit hora diei
 Tertia, sole suos properante recondere vultus
 Hæc aut Psalmographi regalia carmina pulsa
 Voce canunt: aut, cùm veniunt natalia CHRISTI
 Tempora, de nato peragunt præconia CHRISTO:
 Aut cantu celebrant redeuntem ad lumina vitæ
 Ætheriæ, & crudi surgentem è faucibus Orci.
 Aut etiam, sacri veniunt vbi tempora flatus,
 Spiritui exolunt communia vota sacratio.
 Quis quæso ista videns non admiretur, & orant
 Teutonis, Ausoniæ, & Graijs non præferat ipsis?
 Ecquid enim septem turres, quas Cyzicon olim
 Iactavit, maius potuere lebetibus istis?
 Acceptas illæ retulerunt ordine voces,
 Ordine septeno constructæ, auditæque mirum
 Verba reportarunt, veluti resonabilis Echo:
 Hæ certarum edunt centum discrimina vocum,
 Et superis apto modulamine carmina dicunt.
 Sed neque vocali tellus Dodonia quercu,
 Chaonia nec aues, Dodonæique lebetes
 Huic operi præferri vlla ratione merentur.
 Nec simile huic veterû quisquâ fabricavit, & usus
Duxit

HOROLOGII ARGENT.

Duxit ad humanos: non Mulciber ipse camino
 Ætnæo, non prisca suo tale ære Corinthus,
 Nec Sicyon, fabra quanquam memorabilis arte,
 Fecit opus: nil tale Myro, nihil Elide tale
 Phidiacæ rasere manus: nihil arma Cononis,
 Nil Polycletæ maius finxere dolabræ.
 Nil tu Praxiteles: & quis satis omnia versu
 Commemoret? labor est muri recitare figuras,
 Et picturata fulgentia marmora Vena,
 Atque ebur, & dignas cœlesti sede columnas,
 Tota quibus structura, supràque intrâque, renidet.

GALLVS IN AEDICVLA ponderum.

Nunc etiam te, Galle canam, mirabilis ales,
 Vocali rostro insignis, leuiumque volucris
 Remigio alarum, sed non, quo carmine ferri
 Dignus es, hoc alij poterunt præstare poëtæ
 Aptius, è Clario quos ornat vertice laurus
 Et qui de magnis quondam maiora loquuntur.
 Nobis non tantæ sunt ad noua carmina vires:
 Quorum nullæ hederæ viridantia tempora cingunt.
 Sed tamè experiar, qd & hîc mea carmina possint.
 Est domus à leua fabricæ regione, Boræum
 Versus in æde latus, miro cælata labore,
 In formam turris consurgens vertice: at ima
 Parte adstructa operi magno: quâ peruius vsus

DESCRIPTIO

Fundorum inter se tegitur, cæci que meatus,
 Intus cannabeis librata rudentibus altè
 Pondera dependent: quibus insita machina dextræ
 A tergo fabricæ dentatos commouet orbes,
 Circumfert que rotas, horásque & tempora motu
 Describit tacito, magnisque impulsa sinistræ
 Molibus ædiculæ circum signa omnia voluit.
 Exterior facies, multis speciosa figuris,
 Et varijs hominum formis, varijsq; Deorum
 Conspicua. hîc viuo renitet Copernicus ore,
 Cui decus eximium formæ par fecit imago:
 Os rubeum, pulcriq; oculi, pulcrique capilli,
 Cultaque Apelleas imitantia membra figuras.
 Illum scrutanti similem, similemque docenti
 Aspiceres: qualis fuerat, cùm sidera iussit
 Et cælum constare loco: terramque rotari
 Finxit, & in medio mundi Titana locauit.
 Hunc super effigies nitet admiranda colossi,
 Aurea cui ceruix, argentea pectora, venter
 Æreus, è duro cum plantis tibia ferro,
 Fictilis vna pedum pars ferro mixta, lutóq;
 Composita è tenui, fulcrum imbecille colossi.
 Qualem per somnum Nebuccadnesarus olim
 Viderat, imperij sceptrâ interitura notantem
 Quadrifidi namq; Assyrij determinat Aurum
 Imperij fines: sed pars Argentea Persas
 Et Medos signat: Macedum pars Ænea Reges,
 Ce=

HOROLOGII ARGENT.

Cecropiâsq; vrbes, habitatq; mœnia Graijs:
 Ferrea Romanas Aquilas, sæuâsq; secures,
 Pompeijq; acies, & magni Cæsaris arma,
 Penè quibus totum sua sub iuga subdidit orbem.
 Sed duplici diuisa pedum discrimine planta
 Teutonij ferro designat militis arma:
 Ille quibus sceptro Imperij, Latiusque potitus
 Fascibus, Ausonias quondam tractauit habenas.
 At nunc mixta luto paulatim nobile nomen
 Et veteres vires, antiqua & robora luxu
 Amittit, residisque terit lenta ocia vitæ.
 Vt cum fortè acies longa rubigine ferri
 Deperit, & vires roburq; amittit acutum.
 Parte alia turris fatalia pensa trahentes
 Considunt Parcæ, quarum Dea ferrea, Clotho
 Vngue colum tenet: at Lachesis sub pollice fusum
 Torquet, & humanam sortitur stamine vitam:
 Atropos, instantis sæuissima mortis imago,
 Fila secat cultro, mortalesq; abripit annos.
 Tres etiam celsi subter fastigia tecti
 Artes depictæ: quarum virtutibus ingens
 Hoc excreuit opus: virgo Geometrica terræ
 Metitur molem: Cælum rimatur & astra
 Astronomia sagax: Numerorum tertia leges.
 Explicat, & cæli docet omnem inquirere motum.
 Ipsum sed culmen mirandi corporis ales
 Obtinet, Auroræ volueris prænuncia, Gallus,

DESCRIPTIO

Sublimē collo: nūtidī quoſidera cœli
 Spectat, & inter aues ceruicem ſola ſuperbam
 Erigit. Ereċto ſtat rubra in vertice criſta,
 Atque vñcum roſtrum, curuiq; ſub vnguibus hamī
 Caudāque falcata & ſæuo metuenda leoni.
 Iamq̃ue vbi ſinierint mirandum cymbala cantum,
 Tum Gallus, ſimilis gallo, ceu vera volucris,
 Inſonat: & plauſis euerberat aëra pennīs.
 Bis plaudit pennīs, & conſonus exit in auras
 Bis plangor, totūmq; implet clamoribus ædem.
 Non illum terret curui pictura Draconis
 Proxima: ceu quondam volucres ſiluiſſe feruntur,
 Et Lepido lepidum non abruptiſſe ſoporem:
 Poſtquam membrana pictum vidēre Draconem.
 Sed cūm tempus adeſt, tantis hic vocibus ædem
 Perſonat, vt viuos exæquet gutture gallos:
 Nec ſeruaturis vigili Capitolia voce
 Anſeribus cedat, nec amanti flumina cygno.
 O memorandum opus ingenij, quos mente tremores
 Hinc fero? quam laſſos per tot miracula viſus?
 Cede Tarentina Archyta memorate columba,
 Qui volucres ligno potuiſti inducere plumas:
 Sed non & ſtreperam potuiſti affingere vocem.
 Gallus hic expaſſis auram diuerberat alis:
 Et ſimul immenſis tectum plangoribus opplet.
 Quem ſi Roma potens olim, aut imbellē Tarentum,
 Aut Pharus, aut Ephesus, celſoꝛue cacumine Piſſa,
 Aut

HOROLOGII ARGENT.

*Aut Phœbinatale solum, circumuaga Delus
Vidisset: nullum septem miracula mundi
Exiguūmue decus sub tempora nostra tulissent,
Scriptaēque vocalem celebrarent omnia Gallum.*

PICTURAE OMNIS Generis.

*Quid verò memorem cælata toreumata circum,
Picturāsque omnis generis? quid culta parerga
Artifici descripta manu? quid signa Deorum
Atque hominum, miro circum variata labore?
Namque ubi Ephemeridis lento concurritur orbis
Tramite, & ingentem describit passibus annum,
Illic quadrifidi lucent fatalia mundi
Quattuor imperia, humanis depicta figuris.
Prima hominis facies, inflatis turgida malis,
Et vultu atroci: rigido cui vertice mitra,
Assyrium capiti tegmen, bifidoque supernum
Flore riget labrum, Turci pro more: sed infra
Imberbe est mentum: nodo dependet amictus
Ex humero, & talos vestis laxatur ad imos.
Ipse manu clypeum gerit, immanemque leonem,
Terribili impexum seta, & velocibus alis
Insigne ostentat: Chaldea hoc sceptrum virōsq;
Assyrios, primi Imperij fulcimina, iacetat.
Proxima braccati species nitet horrida Medi,
Neglecto squalens senio, vultuque seuro.*

Tetrica

DESCRIPTIO

Tetrica, diuiduâq; albens lanugine barbæ.
 Leuagerit clypeum, medioq; vmbone frementem
 Fert vrsus: Phrygio capiti est pro more tiaras.
 Hæc tibi Persarum reges demonstrat & arma:
 Innumerorum hominum quibus illi corpora duræ
 Demisere neci, fusumq; hausere cruorem.
 Sicut enim lato deformia guttura rictu
 Pandit, & horrorem immittit venantibus vrsus,
 Nec tamen absterret, nec ineuitabile telum
 Vitat: vbi certam venator dirigit hastam:
 Sic Persæ totum implerunt terroribus orbem,
 Europemq; Asiæ Xerxæo ponte ligarunt:
 Tanquam vno hausturi Rhodopeia littora rictu,
 Sithoniâsq; vrbes, habitatâq; mœnia Graijs.
 Sed non Argolica vitarunt vulnera dextræ:
 Nec Macedum seuas olim fugere phalanges.
 Post hos, insignem palma victrice coronam,
 Bucephalumq; ostentat equum satus Hercule magnos,
 Magnus Alexander, clypeoq; insigne, ferocem
 Pantheram gerit, horrendum & mirabile visu
 Monstrum: quod volucres in tergo quattuor alas
 Explicat, & totidem capita alto vertice tollit.
 Os imberbe viro, teretique ex ære galerus
 Tegmen inest capiti, fuluo diademate cinctus.
 Haud equidem longos Macedum durauit in annos
 Imperium: inq; suæ primæuo flore iuuentæ
 Concidit. vt, volucres cum ventus dissipat alas:

Atq;

HOROLOGII ARGENT.

Atque leues passim sparsit per inania plumas.
 Parte alia Latio Caesar Romanus honore,
 Os sublime effert, cui belli insigne superbum,
 Tempora Apollinea fulgent victricia lauro,
 In læua clypei non enarrabile textum:
 Terrificæ noua forma feræ, cui corpore vires
 Immensæ, & duro serrati in gutture dentes:
 Cornua fronte decem, reliquisque oculati vnum,
 Vltima quod signat Romani tempora regni:
 Exultatque, volente Deo: potioraq; Graijs
 Supplicibus latè populis dat iura: suâque
 Victrices toto orbe videt florescere lauros.
 Hæc supra Pater Omnipotens informia regna,
 Materiâque rudem dirimit: liquidoq; coruscum
 Æthere secernit cælum, terrasq; iacentes:
 Et iubet immenso fulgescere sidera cælo:
 Induratq; solum: & discludit Nerea Ponto.
 Inde hominem tenui format de puluere terræ:
 Ingeniumq; indit, diuinorumq; capacem
 Aspirat mentem, propriaq; ab imagine sumtam
 Fingit in effigiem: totumq; huic subijcit orbem:
 Nec procul hinc vetita decerpit ab arbore malum
 Prima parens, audetq; DEI contemnere legem,
 Capta dolo colubri: qui torto corpore truncum
 Amplexus circum, cristam & furialia membra
 Exuit, atque hominis sese transformat in ora,
 Tum matrem ag greditur verbis: fallitq; furentem

Vipeream inspirans animam. Simul illa veneno
Percita Tartareo dictis pertentat Adamum,
Inuertitque viri mentem, & formidine falsa
Elusum in fraudem verbis inducit eandem:
Pestiferumque ambo conduunt in viscera fructum.
Hinc generi humano labor est exortus: & omnis
Erupt dolor, atque fames, & turpis egestas:
Latâque deformi patefacta est ianua letho.
Parte alia CHRISTVS cælo delapsus ab alto,
Induit humanam faciem, cælestibus oris
Editus, & genitore DEO: gaudetque parente,
Cui mare, cui tellus, cui totus subiacet æther.
Ille graues hominum miseratus in orbe labores
Verus homo nasci voluit: fusoque cruore
Diluit omne nefas, placatâque ætheris ira
Restituit veteres humanæ gentis honores.
Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluunt formidine terras.
Atque eccum, vt domita statuit de morte trophæum
Ingenti plausu, spolijsq; oneratus opimis
Ingreditur: victor que hostes super eminent omnes.
Iamq; alti ascendens super ardua culmina cæli,
Victor agit currus, hostes longo ordine capti
Incedunt: atra mors formidabilis vmbra,
Peccatumq; ingens monstrum, & miserabilis Orcus,
Dentibus infrendens: Stygij regnator Auerni
Captiuos inter, centum religatus ahenis

Post

HOROLOGII ARGENT.

Post tergum nodis, fremit horridus ore cruento.
 Non procū huic videas patefactis ossa sepulcris
 Exire: & cæli subitò descendere ab oris
 Sublimes animas, iterūque ad tarda reuerti
 Corpora: & è tenebris ad lumina surgere vitæ.
 Hæc tuba terribili sonitu, quo protinus omne
 Contremuit cælum, & terræ intonuerē profunda,
 Elicit, ac superas reuocat clangore sub auras.
 Ipse sedens crocea sublimis in Iride Christus,
 Arbiter humani generis, nimboque refulgens,
 Concilium vocat: & vitas ac crimina pendit
 Quæsitōr scelerum, trutināque examinat æqua.
 Hinc iustis dirimit fontes, hircōsque bidentum
 A grege secernit: dextraq; à parte bidentes
 Collocat, & cæli melioribus exipit oris:
 Pax vbi securā, & requies æterna laborum.
 Alæua immanes hircorum collocat alas,
 Castigatq; auditq; dolos, subigitq; fateri
 Crimina, & in seram commissā piaculā mortem.
 Protinus hos vltrix damnatos crimine Dira
 Addicat inferno, & Stygias detrudit ad vmbra:
 Nox vbi perpetua, & densa caligine Ditis
 Spelunca horrescit, vastosq; immanis hiatus
 Tartarus ignium eructat cum sulfure fumum.
 Hæc est illa dies, & ineluctabile tempus:
 Quo veniet terræ exitium: multosq; per annos
 Sustentata ruet moles, & machina mundi:

DESCRIPTIO

Excutietq; diem Titan: & sidera cælo
 Labentur: totusq; orbis confidet in ignes.
 Talia per totum videas emblemata corpus
 Depicta insignis fabricæ: circumq; parerga
 Innumera, æqueuī quæ prima ab origine mundi,
 Ad summum illius deducunt tempora finem.

SOLARIA EXTRA Templum.

Haftenus ætherios imitantia corpora motus,
 Annorumq; vices centum, cursusq; dierum,
 Instabilesq; horas, circumq; volantis signa,
 Cymbalaq; & Galli cantus, pictasque figuras
 Lusimus, & tenui deduximus omnia versu:
 Nunc templo egredimur, picta & solaria muris,
 Et turri aëria canimus, Lunæq; meatus,
 Quique inibi radius bisseñas indicat horas.
 CHRISTE faue, & nostris iterū bonus annue cœptis.
 Tectum ingens templi longo fastigia tractu,
 Solis ab occasu, Solis deducit ad ortum.
 Pars laterum Boream, pars altera respicit Austrū.
 Huic turritum aliud transuerso culmine tectum
 Iungitur: Eo quæstant penetralia templi
 Limite: & à gelida tepidam prospectat ad Arcton.
 Illic artificis solaria picta labore
 Sunt aliquot, Solis Lunæque notantia cursum.
 Area lata patet subter fastigia tecti,

HOROLOGII ARGENT.

*In conum vergens: laterum compagine firma,
 Et spacijs triplex includitur angulus æquis.
 In summo muri, facies nitet aurea Phœbi,
 Centri instar. roseo cuius multa exit ab ore
 Linea, quæ dirimit spacijs æqualibus horas.
 Hæc circum duplici cœlestia signa meatu
 Hinc atq; hinc fulgent, altôq; à vertice gyri
 Deducti, atq; Arabes quos Almicantara dicunt.
 Inferitur medio Phœbi stylus æneus ori,
 Insignis nodo. lucis stylus indicat horas
 Totius, obscura, quam de se proijcit, Umbra:
 Quamq; altè Oceani Titan emiserit vndis,
 Quântum hinc Hesperijs, quantum illinc absit Eois.
 At nodus, quo fortè meet Sol aureus astro
 Signiferi, ostendit: sparsaq; examinat Umbra.
 Sunt duo præterea tecto solaris eodem:
 Quorum vnum Lucis consuetas indicat horas:
 Ferrea quas tenui designat regula filo.
 Alterum ab Eois horas regionibus æquas
 Ad mediam lucem, mediâq; à luce diei
 Ad serum occasum, duodenaq; limina cœli
 Exhibet: & sparsa commonstrat desuper Umbra:
 In media muri facie notat aureus horas
 Bissenas index spacio circumfluus æquo:
 Et medios Lunæ ac Solis super æthere cursus
 Signifero, parili præsentat regula motu.
 Tum globus auricomæ profert nona cornua Lunæ,
 Orbe*

DESCRIPTIO

Orbe aliàs minimo rubeum condentia vultum,
 Pleno aliàs humiles spectantia lumine terras.
 Utq; vice alterna, rutilo super æthere Luna
 Nunc radijs crescit, nunc plenum contrahit orbem,
 Sic globus hic variam tecti sub culmine Phœben
 Circumfert, & clara nouat, Lunæ amulus, ora.
 Quid, quòd in excelsa turri, quàm lata patescit
 Area, quaq; alto vigilum domus ardua tecto
 Eminent: artificii septem solaria dextra
 Hinc illinc depicta nitent: Solisq; tabella
 Conspicitur, taciturna notans vestigia Phœbi,
 Siue ille Oceano surgat, remeētue sub vndas?
 Mira tabella viam Solis demonstrat, & apta
 Dirigere arte docet fabricæ mirabilis horas.
 Seu iubar emittat Phœbus, summòque feratur
 Cardine, seu radios obscura nube recondat.
 Dicite, Neccarides, causam mihi, discite Musæ,
 Lubrica quis varijs primus descripserit vmbrijs
 Tempora: & humanos artem reuocarit ad vsus.
 Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis.
 Primus Anaximenes, Mileti clarus ab vrbe,
 In veteri quondam Sparta solaria circum
 Dicitur artificii templis posuisse tabella:
 Et Phœbi seruasse vias, vmbra mq; cadentem.
 Fertur & Hebræus Solymis in mœnibus Achas
 Exigua cursum signasse Hyperionis vmbra:
 Bissenisq; diem horarum secuisse figuris.

Fertur

HOROLOGII ARGENT.

*Fertur Romulea statuisse Papyrius æde
 Umbrarum legem, inq̃ rudi pinxisse tabellat
 Donec opus cæptum forma meliore Philippus
 Martius instituit, normamq̃ reduxit ad aptam.
 Isq̃ labor tantum Romana sede fauoris
 Repperit: Ut Latij Censorum opus vtile curæ
 Subdiderint Patres, summôq̃ in honore locarint.
 Ipse quoq̃ Augustus scioteria mira colosso
 Affinxit: Solisq̃ umbram de rupe notauit
 Immensa proiectam: apici superaddidit alto
 Manlius auratum sublimi in vertice gyrum.
 Omnia sed nostri monimenta laboribus æui
 Hæc tantum cedunt: quantum vaga sidera soli,
 Et quantum reliqui Lunæ fulgoribus ignes.*

AEDILES ET PRAEFECTI Fabricæ.

*Qua vero qua laude canam? quo carmine dicam
 Insignes pietate viros: quibus ardua curæ
 Sunt studia, & tanti non displicuere labores:
 Et quorum larga bonitate, ac diuite sumtu
 Hoc opus excreuit: quo non præstantius vllum
 Vidit in orbe ætas: vix postera secla videbunt?
 Non, mihi ahena sonent centum si vocibus ora:
 Perque mea insinuet totus se pectora Phæbus:
 Omnia percurram tantorum clara virorum
 Nomina: nec meritis hîc omnes laudibus ornem:
 Quos=*

DESCRIPTIO

Quoscuq; huic operi sancti pia cura Senatus
 Præfecit: sumtusq; omnes expendere iussit:
 Aut quis sponte sua cæptum iuuere laborem.
 Nā quē te memorē IOAM THEOBALDE, uetusta
 Orte domo: priscos qui æquas virtute parentes?
 Nam quanquam veteris tibi gentis origo nitefcit:
 Et decus antiquis proau natalibus addunt:
 Ex te maior honos: tibi dignum sanguine prisco
 Pectus inest, & cana fides, operosq; virtus,
 Et pietatis amor, & mens sibi conscia recti,
 Tecum honor, & laudes, & Rhenj cura paternj,
 Molem humero imponēs, & vix tractabile pondus.
 Cum primis tibi larga manus, tibi dulce loquendi
 Fulmen: & attonitas sermo qui mulceat aures,
 Ora supergressus Pylj senis, orāq; regis
 Naricij. hinc laurus crines prætoria vinxit
 Fascibus: & patrias dedit insedisse curules.
 Quid moror: hoc æuo tibi nil, THEOBALDE relictū,
 Quo virtus animo, quo famæ gloria crescat,
 Et nunc venturi debent tibi multa nepotes
 Munera: quod patriæ victus telluris amore
 Inuisti eximij sumtu monimenta laboris.
 Proximus hic se offert paribus pietatis in armis,
 LICHTENSTEYGERUS patria virtute MICHAEL:
 Et mente insignis: rerūq; exercitus vsu:
 Patricios inter clarissimus vnus, & vrbis
 Imperio præstans. manibus gerit ille secures

Con=

HOROLOGII ARGENT.

Consulis: & leges & candida iura tuetur:
 Eloquio pollens: & quem nitor oris honestat:
 Condecorant mores: animus formosior ornat:
 Cuius in egregio posuerunt pectore sedem
 Cana fides, & blandus amor pietatis & æqui,
 Iusticiæque decor, magno & cum pondere virtus.
 Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
 Ingenio, FRIDERICE, potens: sincera bonorū
 Congeries: in quo veteris vestigia recti
 Agnosco, & mores ductos meliore metallo:
 Tu pietatis amans, tu iuris cultor & æqui
 Iusticiæ cines, placidæque in pace tueris,
 Et patria castas defendis in vrbe Camænas,
 Nemo tibi procerum tentat, licet ære vetusto
 Floreat: & clarum trahat alto à sanguine nomen,
 Se iactare parem, tu castas natus ad artes
 Pierio polles studio: dulciq; redundas
 Eloquio: mentemq; leuas docta arte senilem:
 Et procul ambitione, locos & amœna vireta
 Musarum inuisis, doctorumque alma frequentas
 Limina, & Aonia tutaris castra Mineruæ.
 Sed neque deformes inhonori sanguinis ortus:
 Nec te antiquorum series in gloria patrum,
 Obscurum proavis, & prisca lucis egentem
 Plebeia de stirpe tulit. GOTTSHEMIA viuit
 Clara domus, veteremque videt renouescere gentem
 Auspicijs, FRIDERICE, tuis, & alacribus ausis.

DESCRIPTIO

Vester bonos viuit: quem non ventura silebunt.
 Tempora: nec densa condet sub nube vetustas.
 Namque olim grato celebrabunt ore nepotes
 Magnificas patriæ impensas, operumque laborem:
 Et laudes vestras maiorum annalibus addent.

ARTIFICES TOTIVS operis.

Nunc etiam artifices numero grauiore canendi:
 Egregij artificis: quorum alta indagine mentis,
 Ingeniique acie, manibusque atque arte magistra,
 Tam pulcrum processit opus, miroque labore
 Eximia hæc placidum sortita est machina finem.
 Prima DASYPODIO debetur gratia docto,
 Lucida qui summi rimatus sidera cæli,
 Fulgentesque plagas, radiantiaque astra recenset.
 Machina quo viuat motu: quæ semita Lunam
 Ducat, & excluso pallentem fratre relinquat:
 Quæ moneant momenta polum: cur sidera septem
 Obliuiscata illi, retrò nitantur in ortus:
 Ætherium quâ carpat iter Mauortius ignis:
 Quâ vaga flamma Iouis, quâ velox orbita Phæbes,
 Pigraque Saturni, quantum Cytherea sereno
 Curriculo, Phæbique comes Cyllenius erret.
 Cumque animo & vigili perceperit omnia cura:
 Sollicitoque domi signarit pollice cursum
 Ætheris, & numeros secum reuocarit ad aptos:

HOROLOGII ARGENT.

*In medium discenda adfert, cœtumq; iuuentæ
 Perdocet, ingenijs non vestigata priorum.
 Vtque oculis hominum motum, & vaga sidera cœli
 Subijceret: longique vices præscriberet anni:
 Et Lunæ, ac Solis tenebras, mensesq; notaret:
 Solennēsque dies in longum conderet æuum:
 Hæc opera effinxit cœlestem imitantia cursum,
 Mira acie ingenij, mirandæ pollice dextræ.
 Nam studia hæc vitæ teneris sectatus ab annis
 Extera terrarum subiit loca: quâ vagus vdas
 Sequana voluit aquas, & Gallica rura pererrat:
 Immensoque libros conquisijt vndique sumtu,
 Vt veterum possit studio superare labores.
 Et nunc Graiorum Romanis floribus artes
 Irradiat: verni quas proferet aura Fauoni.
 Quicquid enim Euclidæ manauit ab indole: quicquid
 Theodosius peperit: quicquid Damianus auito
 Descripsit radio: quicquid contexit Hero:
 Inuentum quodcumq; tuo Barlame recessu:
 Autolyeus quicquid, vetus Hypsiclesq; sagaxq;
 Fecit Aristarchus: quicquid Pediafinus acer,
 Et Phario solers collegit littore Pappus:
 Omnia nunc opera & studijs melioribus ornat.
 Namq; animo illius pridem se cuncta vetustas
 Condidit, & maior collectis viribus exit.
 Hic veterum laudes proprijs virtutibus auget:
 Inuentisq; nouis maiorum opera omnia vincit:*

Ille Mathematicas edoctus ab arte figuras,
 Omnia perfecit, vinumq; expressit ad unguem,
 Ille segaci animo comprehensa coloribus aptis
 Reddidit, atq; oculis hominum subiecit: & ipsos
 Mulciberis duos potuit formare lacertos.
 Nam tātū eximie STIMMER decus attigit artis:
 Ut veteres superet, presentes laudibus aequet:
 Nec ventura parem sint illi habitura magistrum
 Tempora, qui tanta pingendi polleat arte.
 In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles,
 Hacq; vna victos pictores iactitat omnes:
 Iuno tuum, Polyclete decus: tuus Attica Pallas,
 Phidia, honor: celebri fama est sua vacca Myroni:
 Omnia sed meus hic opifex sibi vendicat vni,
 Pictorēsq; alios vnus superminet omnes:
 Viribus ingenij, & solertis acūmine mentis,
 Artificiq; manu, & variorum luce colorum.
 Pinxerit ille leues volucres: tum protinus aura
 Delapsae venient volucres, cantusq; ciebunt.
 Pingat linteolum, Zeuxis remouere iubebit,
 Ostendiq; volet submota veste colores.
 Pingat equum: picto mox viuus adhinniet ore
 Alter equus, fremituq; auras plausuq; replebit.
 Sed quid opus multis? ipsum praelustre peritum
 Artificem commendat opus: quod in aede Treborū
 Eminet: & tanti se venditat arte magistri.
 Donec enim magni durabit machina templi,
Semper

HOROLOGII ARGENT.

Semper honos, Stimmere, tuus, laudēsq; manebunt.
 Sed neq; carminibus nunc te memorande silebo
 ISACE: nostrorū decus amplū Habrechte, fabrorū.
 Nam quis te Heluetiūm Vulcania doctius arma
 Expediat manibus rapidis, atq; arte magistra?
 Quis melius ferrum vasta fornace recoctum
 Perficiat, mirōsq; hominum perducatur ad vsus?
 Tu potes in tennes illud diducere lamnas:
 Inq; teres filum candentes flectere massas:
 Artificiq; rotis dentes insculpere lima:
 Tu potes horarum certas describere metas:
 Legitimōsq; ciere sonos, & concita motu
 Corpora formare: & duris fabricare lacertis.
 Qualia nec Siculis construxit Lemnius oris:
 Nec Polycletaeus fudit vasto igne caminus:
 Nec fabrae effinxit autor celebrimus artis
 Dædalus, aut Sicyon, aut nobilis ære Corinthus.
 Ergo quicquid habet moles operosa rotarum
 Intus: & occultæ quicquid reuolubilis ædis
 Pō deris: unde omnis venit in vaga corpora motus:
 Munus id omne tuum est. Nam tu monstrata sagaci
 Astronomi ingenio, dura sub forcipe solus
 Corpora formasti: tu gyris addere certos
 Doctus ab Astronomo dentis ritē omnia solus
 Itibus innumeris operosa incude parasti.
 O summi artifices: & quis satis omnia versu,
 Explicet, aut vestros æquet cantando labores:

Quot=

DESCRIPTIO

Quotquot in hanc fabricam tantas impendere curas
Sollicitis manibus voluistis, & arte magistra?
Ingeniosi omnes: si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet aeo.

AD VRBEM ARGENTORA- tum Epilogus.

Tu vero, Aonidum cultrix operosa sororum:
Et veræ pietatis amans, & pacis alumna,
ARGENTORATVM; Germanæ gloriæ terræ,
O præclara domus virtutum, ô iuris asyllum,
Iusticiæq; sacer portus, fidei anchora sacræ:
Salue vrbs illustris, toto celeberrima mundo,
Æternumq; vale magni domus inclyta CHRISTI
Tu pietatis opes, verbi & cælestis honorem
Immenso asseruas studio: ne rure Trebocum
Infelix lolium, & steriles dominantur auenæ:
Vtq; pia maneant in Relligione nepotes,
Tu studia & sacras immensis sumtibus artes,
Impensisq; foues, magnôq; in honore Lyceum,
Cæsario ornatum nuper diplomate, ponis:
Insignesq; viros, totus quos suspicit orbis,
Ingenuæ patria præponis in vrbe iuuentæ:
Vt studium morésq; regant, & facta priorum
Edoceant: quæ norma boni, qui limes honesti,
Monstrent: inq; patrum vestigia ducere perstent,
Eloquijq; vias, Ciceroniâq; arma disertis

HOROLOGII ARGENT.

Vocibus expediant, & cultu diuite linguas
 Forment, & doctis sermonibus ora figurent.
 Tumirabile opus, quo non præstantius vllum
 Vlla prior vidit mundi sub finibus ætas:
 Immenso ædificas sumtu, cœliq; meatus,
 Astrorumque vias argento imitaris & auro:
 Vt quæ sunt humili procul à tellure remota,
 Humanisq; negata oculis, & peruia solis
 Montibus: hîc propius videat Germana iuuentus.
 Salue iterum atque iterum toto clarissima mundo
 Vrbs, decus Alsatia, & Germana gloria terræ:
 Quasque tibi canimus Nicræo carmine laudes
 Accipe, diua, tuas: & miti respice vultu.
 Sic tua crudeli nunquam pulsantur ab hoste
 Mœnia: nec seue videant contagia pestis:
 Nec te dira fames, nec te penuria vexet:
 Sed tua sit Cererisq; ferax, laticisq; lyæi
 Terra, domosque tuas spirabilis ætheris aura
 Recreet: & niueis pax aurea protegat alis.

K

GVILIELMVS

XYLANDER CVNRADO

DASYPODIO, S.



VM essem tecum Argentina superior
re Quintili, & machinam horolo-
gicam te commonstrante spectauissem;
pollicitus sum me de ea aliquid carmi-
ne scripturum. Incidi deinde in eos la-
bores, iſq; sum obrutus curis atque
moleſtijs, ut uix unquam à multis iam
annis, ad condendos uerſus fuerim mi-

nus ab animo & ocio paratus: itaque procrastinatio me adhuc te-
nuit. Nunc quoque in medijs occupationibus, ut quocun que modo
promiſſum implerem, collegi me aliquantulum, & rem aggreſſus
ſum, quæ ita ſucceſſit, ut uides. Itaque cùm ſi unquam antehac, nũc
uel maxime opus habuerim patrono aliquo ad te conſugiendum
mihi duxi, cui ſi ſtudio meum ſatisfecerit, (ea autem eſ cum hu-
manitate, tum in me beneuolentia, ut hoc in dubium uocare non de-
beam) bonos quoq; omnes ſpes eſt ueniam infantie meæ daturus,
auſi (ut Horatij noſtri uerbo utar) magnæ modis tenuare parula.
neque uerò quenquam bonum (malos nihil iam pridem moror) pu-
to ita nobis eſſe poſſe iniquum, ut de mea eruditione, qualis ea tan-
dem ſit, iudicium ſibi faciendum ſit arbitraturus ex hoc ſchediaſ-
mate, quod inter tot curas, moleſtias, ac ſolicitudines ſexcenties
interpellatus haud proſecto ſatis ſcio ipſe quo pacto chartis illeue-
rim. Quod ſi preterea hoc quoq; conſequor, quod uotis peto, ut ali-
us aliquis doctior me & diſertior, ocioq; præditus, indignitate rei
excitatus, horologij huius erudita copioſaq; deſcriptione noſtras
nugas obliſſeret: palmarium etiam me reperiſſe exiſtimabo. Cæte-
ra aliàs, ſi Deo uidebitur. Vale, & nos ama. Exarau hac Heide-
berge anno Sal. MD LXXIV. a. d. IV. Eid. Sept.

GVILIELMI XYLANDRI

AUGVSTANI, IN HOROLOGIVM

Argentinenſe ſchediaſma.

MUlciberi tripotes, nullo impellente, deorum
 Ad ſacra Mæonides certamina cæcus adire
 Sponte ſua, canit: eſt qui clamet: Fabula, nuga,
 Quid non commenta eſt, quid non mentita vetuſtas?
 Accipe quid noſtri contra ſolertia ſecli
 Felix magnificis poſſit ſubnixæ patronis.
 Nõne vides agiles vt gallus concutit alas
 Æreus? arguto vixum ſimulatq; ſonore?
 Vt tempus verſa genius mittitur arena
 In vitro inclufa quod quælibet hora reuoluit
 Ligneus: & ſocius tereti ferit aëra ſceptro
 In numerum: ſimul & crepitantia cymbala dulce
 Expediunt melos: & quauis tibi parte diei
 Apparent celeres ſimulacra rotantia gyros,
 Dñ ſpacia horarũ, & numeros, momẽtaq; mōſtrāt?
 Attonitum ſtupet hæc inhians ſpectacula vulgus,
 Atque oculos ſterili pictura paſcit inertes,
 Artiſcũque manu miracula condita laudat.
 Egregiam verò laudem, dignoſque reportat
 ARGENTINENSIS ſe Magnificentia fructus,
 Cui tanto vilis ſtet delectatio ſumptu
 Ignaram rerum turbam, pulchrique fatigans.
 Non ita. namq; et ſi nomẽ memorabile partũ eſt.

Dædaleis operum splendoribus, & suus arti
 Cuius constat honos, ac solui nescia fama
 Has operis laudes per totum differet orbem,
 Punctum omne artificum pro se sibi quemq; tulisse:
 Niltamen ad summā facere hæc præconia, verū est.
 Namq; vt multiplices aulæa plicata colores
 Ostentant, neq; forma tamen, neq; gratia constat
 His sua: sed diducta eadem, reuolutaq; latè
 Spectantur viuas represententia formas
 Omnigenūm rerum, & gratos laudantur ob vsus.
 Sic ratione tibi docta hoc illustre theatrum
 Rimanti, atq; oculos animi per cuncta ferenti,
 Effundet fructus locupleti copia cornu
 Multiplices, neq; te stupidum pictura tenebit,
 Aut Polycleteum quæ finxit sculptor ad vnguem.
 Sed permagnarum grauis admiratio rerum
 Corripiet, fructūq; suo cumulata voluptas.
 Ergo ades huc, nucleūq; putamine quære resecto.
 Non nihil est rapidas fugitiui temporis horas
 Noscere, & in minimas attentum carpere partes.
 Ista quidem obseruent media de plebe volentes,
 Auribus ista, oculisq; patent. quis frigora brumæ
 Non sensit, calidōsq; dies Titana ferentem,
 Pomiferum Autumnum non vidit, floriferum ver?
 Aut subitis Phæben sese occultare tenebris,
 Et visum nigra mergi caligine Solem?
 Fælix qui potuit rerum cognoscere causas,

Naturæ

Naturæque vices, & non mutabile textum
 Mente adiit, totumq; adeò lustrauit Olympum,
 Præsentis gnarus, venturi præsciens æui:
 Fortunatus & ille, Dei qui splendida dona
 Suscipit, & docto parta instrumenta labore
 Ac vim diuinæ meditatur sedulus artis.

Non heic doctorum magna te mole librorum
 Opprimimus, non heic anceps te calculus vrget,
 Non caput heic scabitur, nō morsus raditur unguis.
 Cuncta sub aspectum datur heic expromta videre,
 Quæ ciet immensi pernix conuersio cæli.
 Aspice (nec duci tu te per singula speres)
 Adspice nutantem conuexo pondere sphaeram:
 Hinc tibi cælestis sophiæ capietur origo.
 Hanc tibi, Posteritas, prolis Pelecanus amator
 Dedicat, hæc studijs sacrata est machina castis.
 Quotquot eunt, ibuntque dies, dum sidera cælo
 Fixa manent, stabitque suis reuolutibus æther:
 Cuncta tibi verax repræsentabit imago.
 Atq; omnes motus, momentaque certa docebit.
 Ante oculos stat id omne tuos: heic circulus alti
 Solstitij medium signorum diuidit orbem.
 Heic vertex nobis qui sit sublimis, & illum
 Quæ quocunq; die prospectent astra videbis,
 Cetera sub pedibus nigra cum nocte premantur.
 Heic quantum à medio declinans æthere Phæbus
 Lucis inæquales tenebrarumque ordinet horas

DISCREPTIO

Conspecies, medio surgens quam distet ab ortu
 Quotidie, æquantis quæ portioq; omnia gyri
 Augeat, imminuatue diem: quo tempore stella,
 Et quo quæq; loco cadat, emergatue sub auras.
 Utq; rotans summum celer in sese æthera cursus
 Vingtiquatuor lapsis absoluitur horis:
 Hæc quoque, cælestis mirè sphaera æmula sphaera,
 Temporis ad punctum spacio conuertitur isto:
 Nulla mota manu, nulliq; obnoxia fraudi,
 Digna Syracusio palmam subducere vitro.
 Quæris cur fundo globus iste locetur in imo?
 Decidit in terras (dictu mirabile) cælum,
 Non, qualem prisca stultè metuere, ruina:
 Sed cæli formam, motus, positumq; vicēsque.
 Ausa oculis hominum pridem Thaumantias Iris
 Subijcere, in genuis conatibus improba vicit.
 Sic Agamedea cælo deducitur arte
 Cynthia: sic humeris fert arduus Atlas Olympum.
 Nec sat erat forma cælum expressisse rotunda,
 Contendisse globumq; globo: maiora parantur:
 Ut nihil in pulcris fas est diffidere ceptis.
 Circulus est, numeris horarum atq; indice fido
 Conspicius: alium sed circumplectitur orbem
 Signiferum, qui circa alienum vertitur axem
 Excussus proprio. viden' ut pars altera summum
 Tangat, & haud leuiter pars altera distet ab imo.
 (Astrolabo nomen rerum fecere periti.)

Hæc

HOROLOGII ARGENT.

*Heic quos clara vagos exercent lumina motus,
 Et quem quisq; locum stellati possidet orbis,
 Obtutu cernes primo. quæ semita Lunam
 Auferat, aut societ fratri: uel qua comes illi
 Parte meet Venus, & quò se Cyllenius ignis,
 Frigida vel quò se Saturni stella receptet,
 Quò Iouis, aut rutilum Martis quò sidus oberret.
 Quin etiam nostro quàm longè à uertice distent
 Astra, vel in mundi qua singula parte ferantur,
 Multiplices certo monstrant examine gyri:
 Quos vulgus Labyrinthis ambagibus æquet.
 Ista super Triuiæ effigies sese aurea uertit,
 Usuram perhibens fraterni luminis omnem,
 Quanta sit, utq; breues uariè mutetur in horas.
 Quid memorè exactos tibi lustra ad plurima fastos,
 Et centum totos quæ tabula digerit annos?
 Defectus etiam Lunæ Solisq; futuros?
 Atq; recurrentes, ceu postulat ordo, planetas,
 Curru quemq; suo, quales finxere poëtæ?
 Ornamenta etiam vis, atq; emblemata narrem
 Diuinæ fabricæ? neque me comprehendere verbis
 Vllis posse reor: neque primo Solis ab ortu
 Spectantem, accendat serus dum lumina vesper,
 Materies agili meditandi plurima mente
 Destituet, seu picta iuuat, seu sculpta tueri.
 Huic operi palmam (liceat modò vera fateri)
 Cedit Pelidæ clypeus, Vulcaniâq; arma*

Dar.

DESCRIPTIO

Dardanio fabricata viro, neque palla Mineræ
 Æsonidæ donata duci contendere tentet.
 Quid loquar? an gelidæ simulachrum nobile mortis
 Cuilibet ætati sua tela subinde minantis,
 Dum fugit in terra fugit irreparabile tempus,
 Præcipitantque dies per mille pericula vitæ?
 Irrita vel profligati certamina lethi?
 Niliacus sceleton solitus spectare Canopus
 Non ita mortales docuit quæ fata manerent.
 Aut expicta feram vasti primordia mundi,
 Protinus humani tristem generisq; ruinam,
 Siue triumphantem deuictæ funere regem,
 Per quem parta salus, satanæq; oppressa potestas?
 Hæc alijs prudens ego commemoranda relinquo,
 Multaq; prætereò vel doctis digna Camœnis.
 Parcas, Imperia orbisq; Assyriumq; colossus,
 Temperies hominumq; & tempora quattuor anni:
 Ipsam operis vitamq; & nervos totius, artes
 Doctæ mathematicas quas dicunt pectora, amantq;.
 Splendida siue vrbis tutantes, arma leones.
 Tu verò, astrologum sophiæ COPENICE vindex,
 Quo se præ cunctis commendat Prussia alumno,
 Qui fixas, certis stellâsq; erroribus actas
 Illarumq; situs veros, cursusq; vicésq;
 Ausus es æternum victuris condere chartis:
 Dignam opere in partem, tibi se quod debet, adeptus
 Perpetuum gratæ spectat ere posteritati.

Sed

HOROLOGII ARGENT.

Sed tibi, NICOLEOS, partæ benè laudis abunde est.
 Tempus & autores operis tandem, artificesq;
 Appellare mihi, gratasque expromere voces.
 A te principium, tibi gloria desinet omnis
 ARGENTINA, viris, opibusq; amplissima iustis,
 Doctorum cœtu sed & exornata virorum,
 Qui colit illustres, plantat, fouet, educat artes.
 Laudabunt alij ferientem culmine nubes
 Pyramida, & templi structuram, grandia saxa,
 Grande opus, & raro sumtu, rara arte paratum.
 Est quem cincta iuuant immanibus oppida muris,
 Aggeribus fossæq; & mœnibus addita moles
 Portarum stupet hic ædes, stratasque plateas
 Egregiè, & lympham tubulos largo ore vomentes
 Compita per, vicôsque, atque atria pulchra domorû:
 Cætera, quæ cultas extant memoranda per vrbes,
 Omnia iam cantata: & quæ gens, natio, tellus
 ARGENTINA tuas nescit clarissima dotes?
 Sed non vlla magis cœlo te gloria tollit:
 Quàm quod barbariem, rursum sua sceptrâ minantē
 Degenerum fretam studijs operâq; virorum,
 Reijcis, & patria pulcris conatibus arces:
 Quò tibi permultum Germania nomine debet.
 Nûc quoq; magnifico facta hæc tibi machina sumtu,
 Accedit cumulo laudum res magna tuarum,
 Omne ferens punctum, quia miscuit vtile pulcro:
 Cuius vix ipso cum tempore fama peribit.

DESCRIPTIO

Hoc, reor, ille etiam præfago pectore sensit,
 Qui duraturos quæ voluit tabula fastos,
 Illius ad centrum patriæ sola pingere iussit.
 Teuthonia, & formâ spectabilis ARGENTINAE.
 Dum sua gyrabunt sublime volumina cælum,
 Tempus erit. dum tempus erit: globus iste, rotæq;
 Temporis expedient rationem protenus omnem,
 Atque opus hoc oculis hominum, famaq; feretur.
 Maeste igitur virtute tua, venerande SENATVS:
 Sic perge ingenuas fecundis suntibus artes
 Erigere, & studijs patrociniog; tueri:
 Ut sit honor Musis, & debita præmia doctis.
 Nec seges vberior, neq; messis pulcrior vsquam,
 Nec maiore decus rerum cum fenore crescit.
 Sic meriti vobis accessio fiet honoris
 Nobilis, & vestram sic condecorabitis urbem,
 Altius ut supra reliquas caput ardua tollat.
 Vos quoq; ob exhaustos mihi cōmemorare labores
 Est animus, qui doctorum præscripta probantes.
 Certa, mathematicis penetralibus eruta, mundi
 Compagem struere hanc ferro lignoq; dedistis.
 Tu DASYPEVS, diuam cui cura docere mathesin,
 Atq; inter doctos scriptis celeberrime libris,
 Inq; meis (nihil hoc vero deducet) amicis,
 Ingressus operis primos Conrade parasti,
 Principibus patriæ formamq; modumq; ministrans
 Ausus inaccessos Sophiæ recludere fontes,
 Aerum.

Ærumnasq; graues placida præferre quieti.
Vicit iter durum virtus tua, vicit honestæ
Laudis amor, patriamq; ornandi iusta cupido.
Tuq; laborantem, curis, morboq; grauatum
Thesea comitate fide, ductumq; secute
Illius, atq; oneri collega adscite ferendo
WOLKENSTEINE tibi nomen David paraſti
Eximium, (rectè te Bratiſlana genitrix
Tot doctòſq; probòſq; inter, ſua pignora, dignum
Connumerat) vos aſtriferi conſtantia cœli
Momerta, & medios quos ſeruant lumina motus
Ætheris in varias hinc inde abeuntia partes,
Tempora vos, faſtoſq;, & cætera cuncta, figuris
Et numeris aptata ſuis, ac pondere certo,
Pictori & fabris opere effingenda tuliftis.
Vestra adeo quoq; mechanicis ſolertia laudem
Artibus, & magnum iam conciliauit honorem,
Materiemq; dedit, qua non præſtantior vlla:
Æthera dum, ſtellâſq;, & gyros pingere cœli
Fecit, & incudem cœli verſare meatus.
Non ego veſtra canam vanis præconia verbis.
Stâtq;, & ſtabit opus, non quod fabrilia poſſint
Ingenia, aut humiles attingere ſenſibus artes,
Cuncta mathematicæ viſ & vigor iſta ſubegit,
Exprefſit, docuitq;, & nunc tenet atq; gubernat.
Felices ambo, ſemper vos aurea fama
Euehet, inq; plagas terrarum differet omnes.


Tu quoq; leticiæ compos SCAPHVSIA iustæ
 Exulta, Rheni magnum decus, haud tibi paruum
 Cedit honor: tu pictorem, fabrôsq; dedisti,
 Quorum opera ante oculos diuinæ inuenta mathesis
 Stant posita, & patulas edunt responsa per auras.
 Magnam opus hoc partem tibi se debere fatetur
 Tobia STIMMERE, animo gratissime nostro,
 Promte manu, ingenioq; & nostræ ætatis Apelles.
 Te sine nulla Mathematicis descriptio facta est:
 Tu quæcunq; illis docta ratione reperta,
 Et tibi sunt dictata, ac doctis tradita verbis,
 Artifici depicta stylo atq; interprete forma
 Expressa, exemplar fabricandi proposuisti,
 Tu Colophon operis, tibi se omnis gratia debet,
 Et nitor, & scita vernans gravitate venustas.
 Nec tu carminibus nostris indictus abibis
 Ferramenta, rotasq; operis fabricate perennis
 ISACE. eccquis enim famæ subtilis HABRECHTI
 Inuideat: non ingenium & vim mentis acutam,
 Solertesq; operas venturis prædicet annis?
 Ipse, per exiguæ cui sunt in carmina vires,
 Nescio qua præter solitum dulcedine tactus,
 Hæc inter curas, interq; negocia lusi:
 Dum non sustineo spectator a symbolus esse.
 Si natura negat, facit admiratio versum:
 Exsistant alij, comto qui carmine vates
 (Materia in medio sita nobilis) omnia tractent,
 Nostra

Nostra incompósito tetigit quæ Musica versu.
Vt res cunque cadent, vt nil mea carmina possint,
Nulla dies opus hoc memori tamen eximet æuo,
Autorumq; erit æternum decus, artificumq;
Hocq; etiam ob munus laudabitur ARGENTINA
Musarum columnen, spes, portus, & aura mathesis.

FINIS.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to the quality of the reproduction and the age of the document.

FINIS



Dasypodius: →

Sicherheitskopie (Xerox) vordr.